
NICOLAI GÜRTLERI

BASILIENSIS

In Schola Academica Daventrienſi SS. Theol. Doct. & Profeſſoris

HISTORIA TEMPLARIORUM.

Editio Secunda, priore multum auctior.



AMSTELÆDAMI,

Apud FRANCISCUM van-der PLAATS.

M. D. CCIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

VIRO SPECTATISSIMO ET PRUDENTISSIMO

D. ISAACO BARONI.

Civitatis Neo-Hanovienſis ſæpiſſ. Conſuli, ultra XXX. annos Senatori integerrimo & meritiſſimo

SOCERO HONORATISSIMO

S. P. D.

NICOLAUS GÜRTLERUS.

QUod per locorum intercapedinem præſens nequeo, id libri hujus inſcriptione facio abſens, *Venerande D. Socer*, neque tibi ſaltem, ſed & literato orbi teſtatum do, quanto tuas virtutes tuaque merita cultu proſequar, & quantum tibi patria civitas

non ſolum debeat, ſed quoque debere agnoſcat fateaturque.

Reverſus enim ab utiliſſima peregrinatione in Germaniam, Helvetiam & Galliam ſuſcepta, non ſolum gubernandæ Eccleſiæ idoneam operam ſæpius impendiſti, verum & ab *Illuſtriſſimis ac Celſiſſimis D. Comitibus Hanovienſibus* in Senatorio & Conſulari munere confirmatus es, quod uſque huc tanta fide, prudentia, dexteritate & abſtinentia adminiſtras, ut civium, Collegarum ſpectatiſſimorum nobiliſſimorumque; juxta & Conſiliariorum Generoſorum, Præluſtrium & Ampliſſimorum, & *Celſiſſi-*

mor.

mor. DD. Comitum adprobationem laudeſque vivus merueris, & familiæ tuæ poſt obitum (qui ut ſerisſime tibi obtingat, Deum enixe rogamus) benedictionem divinam & humanam relicturus ſis.

Vetat me pietas ſilentio heic præterire dilectiſſimam uxorem tuam *Mariam Herpſeram*, ſocrum meam honoratiſſimam, filiam Viri Illuſtris & Ampliſſimi D. *Joh. Danielis Herpſeri*, qui præter ſyndicatum patriæ urbis laudabiliſſime geſtum, Electoribus quoque, Principibus & Comitibus à Conſiliis fuit: matronam ſane ob ſanctimoniam, charitatem, modeſtiam, frugalitatem, in-

duſtriam, fidem & concordiam, vel cum iis feminis comparandam, quas Spiritus S. in ſacris Novi & Veteris Teſtamenti libris ſingulari encomio dignatus eſt, & muliebri ſexui imitandas, velut accuratum ſpecimen, propoſuit.

At merita adfinis tui, chariſſimæ uxoris meæ Avunculi venerandi, Viri Illuſtris & Amplisſimi D. *Joh. Danielis Herpferi*, Illuſtrisſimo & Celſisſimo D. PHILIPPO RHEINHARDO *Comiti Hanovienſi* &c. &c. à Conſiliis, & civitatis Neo-Hanovienſis Syndici dignisſimi calamo meo, licetis forſan omnium infelicisſimus haud ſit,

depingere, vel adumbrare, non ſuſtineo. Adeo ſummi hujus Polyhiſtoris ſubactisſimum judicium, vaſtisſima rerum omnium, divinarum & humanarum ſcientia, oris & calami facundia incredibilis, in tractandis negotiis dexteritas feliciſſima, in obeundis muneribus fides incorrupta, & ſapientia conſummata dictionem omnem antecellunt: quod meum effatum tanto fidentius pronuncio, quanto ſæpius & utilius Viri maximi conſuetudineoli m uſus fui. Et profecto ſplendor illius virtutum per univerſam Germaniam ita eſt diffuſus, ut ſereniſſimi Electores, magni Principes, &

potentes urbes, hoc noſtræ ætatis clarum decus, magno deſiderio, ſed vano eventu, Hannoviæ eripere, atque ſibi vendicare ſtuduerint.

Quin & lætum eſt & perhonorificum *Herpſerianæ* familiæ, quod Ampliſſimus Pater *Filium* cognominem ad avitam gloriam alte procreſcere videt: primum *Juridica profeſſione* ornatum, in qua illi dignitate concilianda operam meam, etſi tenuem, uti juſtam rectamque, ſic & non omnino inutilem fuiſſe ſi dixero, fortean temere nihil mihi arrogavero: mox & auctum *Syndici* munere poſt fata paterna obeundo, quæ Deus in tempora maximè ſera differat. Eun-

DEDICATIO.

Eundem immortalem Deum toto pectore rogo oroque, ut te, *Honoratiſſime D. Socer*, in ſenio tuo ſtabiliat ac recreet, valetudine firmiore & vegeta vitaque longa beet, & cum uxore lectiſſima, ætatis tuæ fulcro & ſolatio, totaque familia, & laudatisſimis cognatis & propinquis, omnibus animi & corporis bonis ad ſuam gloriam, noſtramque lætitiam, ex abundanti gratia affluere faciat. Dab. Daventr. XXIX. Octob. MDCCII.

LECTO.

LECTORI

BENEVOLO S.

EN *tibi* Hiſtoriam Templariorum; *forte non abs re in memoriam revocatam. Alienis ſæpius ac meis eſt compoſita verbis, nec ſine exemplo, nec ſine ratione. Nam Veterum ſenſus, animum, fidem, ritus & mores in ipſis certius vides, quam ex Interpretibus diſcis. Auxi obſervationibus Eccleſiaſticis de* votis Monachorum, *de* Patriarcharum dignitate. *de* veſtitu perſonarum religioſarum, *de* liberalitate erga ordines ſacros &c. *ut varietate utili delectetur forſan animus tuus. Si tamen velis, fata noſtrorum militum non interrupta legere ſerie, te ad metam ſubjuncta ſectionum ſumma ducet. Tantum rogo, ut legens de Veterum ſuperſtitionibus, falſis opinionibus, temerariis votis, & laboribus ſtolidis, ſimul de felicita-*

te

te poſteriorum temporum, ex luce Evangelii Chriſtianis redditi ortâ, cum gratiarum actione cogites. Ita neque te libellum legiſſe, neque me ſcripſiſſe pœnitebit. Hæc benevole Lector præfatus ſum ante annos undecim; neque jam habeo quod addam, niſi me rogatum de adornanda ſecunda editione hiſtoriæ Templariorum, qua potui diligentia, undiquaque collegiſſe res à noſtris Equitibus geſtas, & fata cum læta, tum triſtia, ut libellus ad alteram ſui partem auctus excreverit. Vale.

SUM-

SUMMA SECTIONUM.

1. Ordines religioſi
2. confirmandi á Pontifice.
3. Olim emendandi,
4. vel abolendi, ut Templarii.
5. Templariorum origo, peregrinationes religioſæ,
6. inceptæ ſeculo IV.
7. non obſtante Alexandri Cappadocis exemplo.
8. Frequentatiſſimæ ſeculo XI.
9. inter pericula.
10. Petrus Eremita
11. perſuadet expeditionem in Palæſtinam,
12. cum Urbano II. in Synodo Claræmontana.
13. Occupatis Hieroſolymis viæ manent infeſtæ.
14. Templariorum ordinis auctores,
15. inſtitutum,
16. inſtituti cauſſa religio.
17. *Canonici quinam dicti. Varia membrorum Eccleſiæ nomina.*
18. *Canonici regulares & ſæculares quinam;*
19. *Utrique aſtricti regulæ Auguſtini.*
20. *Fabula de Auguſtini regula.*
21. Templariorum tria vota. *Paupertas triplex.*

22. *Vo-*

22. *Votum paupertatis Hieronymi ætate factum.*
23. *Voti cœlibatus origo,*
24. *commendati à Pinyto, &*
25. *Lactantio;*
26 *præcepti ævo poſteriore.*
27. *Votum obedientiæ.*
28. Templariorum officium: &
29. Officii fructus.
30. *Satisfactio canonica.*
31. *Media remiſſionis peccatorum conſequenda ſecundum Veteres.*
32. Templariorum moderator Patriarcha Hieroſolymitanus. *Patriarcharum nomen & origo.*
33. *Numerus.*
34. *Epiſcopi Hieroſolymitani quando facti Patriarchæ.*
35. Tempus inſtituti Templariorum:
36. Locus.
37. *Poſt Hieroſolymas deſtructas condita Ælia*
38. *in loco vicino;*
39. *ſed nullis è Judaïca natione oriundis habitari permiſſa,*
40. *& Eccleſiæ ex aliis gentibus collectæ iniqua:*
41. *tandem Hieroſolyma dicta.*

42. *Fatum templorum Æliæ conditorum ab Helena, Juliano,*
43. *Eudocia,*
44. *Omaro.*
45. Templarii à quo templo dicti?
46. Victum & amictum unde primo acceperint?
47. Confirmatio Ordinis Templariorum:
48. & Regula,
49. poſt immutata.
50. quod ulterius probatur.
51. Templariorum tonſura.
52. habitus Templariorum albus. *Diſcrimen veſtium ab ætate Johannis B.*
53. *Pallium philoſophicum in Eccleſia receptum.*
54. *Alexandri Severi de veſtium diſcrimine edictum.*
55. *Pauli Eremitæ primi veſtis.*
56. *Colobium Monachorum, Dalmatica Sacerdotum.*
57. *Euſtathius improbat byrros.*
58. *Byrrus quale veſtimenti genus.*
59. *Tabenneſiorum habitus.*
60. *Libertas veſtium ſervata à quibuſdam Monachis.*
61. *Luxus in veſtibus Clericorum.*
62. *Diverſitas & ſanctitas veſtium Mona-*

na-

nachorum.
63. *Luxus Benedictinorum in veſtibus.*
64. Rubea crux in palliis Templariorum.
65. *Varius crucis in veteri Eccleſia uſus.*
66. *Signum crucis in fronte.*
67. *Signi hujus cauſa falſa,*
68. *Vera α. Memoria Chriſti.*
69. *β. Commendatio ſui in tutelam Chriſti.*
70. *Unde ſignarunt cruce & alia membra, utenſilia, ædes, &c.*
71. *exceptis pavimentis.*
72. *γ. Securitas in periculis.*
73. *Cur frontem maxime notarint cruce?*
74. *Cruces de collo ſuſpenſæ & veſtibus appenſæ:*
75. *miraculo iis impreſſæ.*
76. *Milites cruce ſignati. Crux alba in veſte Hoſpitaliorum.*
77. *Cruces manibus geſtatæ.*
78. *Labara crucis ſigno diſtincta à Conſtantino.*
79. *Cruces ſtatutæ in viis publicis, templis.*
80. Vexillum Templariorum:
81. Inſigne.
82. Diſciplina ſevera.
83. Obedientia.
84. Induſtria.

85. Morum honeſtas.
86. Prudentia & fortitudo bellica.
87. Bona fama in Orbe.
88. Incrementum.
89. *Progreſſus aliorum Ordinum.*
90. Templariorum divitiæ:
91. *& aliorum Ordinum.*
92. *Cauſſæ liberalitatis erga Clericos, Monachos & milites ſacros:*
93. *α. In accipientibus;*
94. *à Conciliis imperata.*
95. *privatim præſtita divitibus officia:*
96. *Lucrum ex uſuris*
97. *& vita Clerica, vel monaſtica opulentis perſuaſa.*
98. *Bonus opum uſus.*
99. *Fraudes & violentiæ aliorum.*
100. *Gratus erga liberales animus.*
101. *Clericorum ſcopus in comparandis divitiis: ut ſe molliter curarent.*
102 *& poſt mortem propinquos ditarent.*
103. *β. In dantibus.*
104. *Lætitia de pace accepta:*
105. *Recordatio præteritorum temporum:*
106. *præclara opinio de liberalitatis ſanctitate*
107. *& utilitate.*
108. *Amor vitæ clericæ vel monaſticæ.*

109. *Ce-*

109. 110. } *Calumnia & gloriatio Romanenſium*
111. *repreſſa.*
112. *Fontes liberalitatis Veterum*:
113. erga Templarios præſertim.
114. Ludovicus VII. Templariorum fautor & Philippus II.
115. ingens iis cedit ſumma ex teſtamento Philip. II.
116. Templariorum ſuperbia
117. *quod quidem commune malum in clero & antiquum.*
118. Aſtute tamen à Templariis tectum velo modeſtiæ.
119. Tempus defectionis a Patriarcha Hieroſolymitano.
120. *Monachi Epiſcopis ſubtracti.*
121. Templariorum violentia
122. cædes.
123. Jurgia cum principibus.
124. præcipue cum Hoſpitalariis.
125. Expeditiones bellicæ
126. Supplicium
127. Templarii bonis fruſtrantur
128. prælio vincunt Saladini copias
129. viciſſim vincuntur a Saladino,
130. crudeliſſime tractantur. Lytrum eorum
131. Cauſa cladis
132. Clades nova

133. Hieroſolymas Chriſtiani amittunt.
134. Mortem ultro expetunt.
135. Prodigia
136. denuo vincuntur.
137. Tyrum fruſtra oppugnat Saladinus.
138. Templarii ſedem mutant..
139. Æmulatio inter Galliæ & Angliæ Reges.
140. Rex Angliæ ſauciatur.
141. Bellum reſtauratur.
142. Prælio ſuperantur Saraceni.
143. Atrox pugna ad Damiatam.
144. Templariorum vaſtiſſima navis.
145. Virtus bellica
146. Damiata capta.
147. Prophetia Arabice ſcripta.
148. Fortitudo Templariorum compenſatur.
149. Saracenis damnoſa.
150. Caſtrum Saphet
151. Templarii Angliam ſubjiciunt Papæ.
152. Damiata reſtituitur Saracenis.
153. Pax violatur inſtinctu Papæ.
154. Suum interim quærit commodum.
155. Male cedit Templariis.
156. Wilh. Comes Pembrokiæ.
157. Templariorum audacia in miſeriam vertit.
158. Odium incurrunt.
159. Inducias pangunt cum Soldano Damaſci

160. fa-

160. fæliciſſime pugnant
161. diſcordias ſerunt inter Chriſtianos & Saracenos.
162. Clades.
163. Solatium victis a Rege Francorum.
164. Jejunium ſolenne pro liberatione terræ S.
165. Templarii vetantur pacem facere cum Sultano.
166. tametſi conditiones proponantur ſatis amplæ.
167. Falſi ubique rumores ſparguntur a Templariis.
168. Templariorum & Hoſpitaliorum certamen cum Epiſcopo Lincolnienſi.
169. Soldanus Cairum & Babylonem præſidio firmat.
170. ejus præſagium expletum.
171. Chriſtiani irruunt in Saracenos
172. Lites
173. unde maxima Chriſtianorum ſtrages.
174. Victoria exultat Sultanus.
Rex Franciæ capitur.
175. Libertatem redimit.
176. Induciæ inter Sultanum & Regem Franciæ.
177. Henricus III. Templariis infenſus.
178. Illi verò Pontifici Romano.
179. Magnus eorum numerus ſuperatus.

180. Pacta non ſervant.
181. Oliverius de Thermis Ptolemaidem venit.
182. quæ urbs fortiter defenditur a Templariis.
183. Contentio inter amicos Regis & Templarios.
184. in obſidione Acconæ omnes fere pereunt Templarii.
185. Fugitivi in Cypro occupant Tortoſam, iterumque amittunt.
186. Thraciam, Peloponneſum, Atticam, Macedoniam deprædantur.
187. Finis Templariorum.
188. auctor excidii Philippus IV.
189. et Clemens V.
190. Cauſæ in animo Philippi ira in Templarios.
191. Spes Lucri.
192. Occaſio conſilii exſequendi accuſatio duor. Templariorum.
193. a Philippo Rege avaro arepta.
194. Momentum cauſſæ Templariorum.
195. culpantur ab his.
196. à Puteano & Platina.
197. excuſantur ab illis.
198. inquiritur in verum cauſæ ſtatum.
199. Templariorum luxus & libidines.
200. Venus maſcula.

201: Pro-

201. Proditio Friderici II.
202. hoc flagitium jam olim commiſſum.
203. Diſcordia cum Hoſpitalariis.
204. defectio à Chriſto.
205. non omnium ſed aliquorum.
206. conſideratur Templariorum accuſatio, defenſio & condemnatio.
207. Crimina iis objecta in Ep. Clementis V.
208. Philippi & Clementis lis.
209. Templariis parum utilis
210. eorum finis in Gallia.
211. Provincia.
212. Regionibus aliis Philippi impulſu.
213. in Caſtilia.
214. Aragonia & Catalonia.
215. Anglia.
216. Zelandia.
217. Germania.
218. Concilia Provincialia in cauſſa Templariorum.
219. 220. Pœnitentia iis indicta Tarracone.
221. abolentur a Synodo generali.
222. Diſtributio bonorum Templariorum.
223. Mortem aliqui evaſere.
224. Hiſtoria ultimi Templariorum Magiſtri.
225. Pontificis ſententia contra Templarios

rios.
226. Mors auctorum excidii Templariorum.
227. Ordo unde initium & incrementum, ſæpe & finem habuit.
228. Philippi pulchri laus & culpa.
229. Clementis Papæ culpa.
230. Divitiæ Monachis & Clericis noxiæ.
231. Clades Templariorum.
232. ſimilis Veſperis Siculis.
233. Lanienæ Pariſienſi.
234. Cædi Rom. juſſu Mithridatis.
235. Epilogus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HISTORIA TEMPLARIORUM.

QUi vel mediocri rerum Eccleſiaſticarum notitia pollent, ignorare nequeunt, Romani Epiſcopi poteſtatem, qua populo Chriſtiano plurimorum graviſſimorumque errorum fidem, & ſuperſtitioſum falſumque cultum ſat diu ſolet imperare, a variis Monachorum & Equitum *Ordinibus* firmatam juxta & amplificatam fuiſſe. §. 1. *Ordines religioſi.*

Nam & ſedis Apoſtolicæ auctoritate confirmari neceſſe habuerunt, & obedientiam ei vovent intemeratam, votoque ſuo congruenter ubique locorum ſanctum & glorioſum Papæ nomen prædicant, velut legati ac ſervi illius. Quemadmodum autem non temere ſperat Eccleſia Jeſu Chriſti, illam iniquitatis ſedem, ſolio Dei & Regis noſtri oppoſitam, aliquando §. 2. *Confirmandi a Pontifice.*

non ſolum quaſſatum, quod jam ſemel iterumque contigit, ſed &. omnino everſum iri: ita quoque nulli dubitamus, irreligioſos hoſce Ordines, Romanæ Cathedræ fulcra, partim inſtituti emendatione, Evangelii illibati præconium ſecutura, illi ſubducendos, partim deſtruendos funditus & abolendos eſſe, quando Chriſti regno per totum terrarum orbem propagando ſe opponere pergent.

§. 3. *Olim emendandi.* Et vitæ quidem Monaſticæ olim emendandæ ſpem facit non modo prima ipſius origo, qua fuit innocens, nullis ſuperſtitionum legibus conſtricta, atque cum ad privatorum pietatem, tum ad communem Eccleſiæ utilitatem accommodata; ſed præteriti quoque ſeculi hiſtoria, ex qua conſtat, Viros religioſos & prudentes, cum Euangelium e tenebris in lucem revocatum prodiret, conſilia agitaviſſe de monaſteriis in Collegia ſapientiæ & ſeminaria Eccleſiæ mutandis, quod ſalubre inſtitutum inter-

ver-

vertit avaritia divitiis monaſteriorum inhians.

§. 4. *Vel abolendi ut Templarii.*

Aboliti vero ipſo a Papa & Regibus Catholicis integri Ordinis, frequentia licet opulentiaque formidabilis, magnum exemplum præbent *Templarii* milites, quorum hiſtoriam valde memorabilem ſcholaſtica diſſertatione complexuri, *originem* eorum, *progreſſum* & *finem*, interſperſis paſſim obſervationibus Eccleſiaſticis, ex fidelibus rerum monumentis breviter trademus.

§. 5. *Templariorum origo, peregrinationes religioſæ.*

Originem igitur huic militari juxta & ſacro Ordini dederunt peregrinationes religioſæ, a ſuperſtitioſis hominibus frequentiſſime tum in Palæſtinam ſuſceptæ, quos armis defendere adverſus inſidias & latrocinia Saracenorum primi illius auctores in animum ſibi induxerunt. Quum enim Ægyptiorum regnum vires progreſſu temporis ſumſiſſet, Palæſtina quoque in eorum venit ditionem, Azizo tota Syria potito anno Æ.C. 979.

ejuſque filio Hakemo Hieroſolymis templum reſurrectionis anno 1010. demolito, uti referunt *Wilhelm. Tyr.* l. 1. c. 4. & *Abulphar.* in dynaſt. IX.

§. 6. *Incepta ſeculo IV.* Equidem mature ſatis in Eccleſia mos obtinuit viſitandi loca, quæ putabantur ſancta. De Cleto, Romano Epiſcopo, ſcribit Rolewink ad ad annum 84. *Peregrinationes ad ſanctos approbavit dicens: quod validior eſt ad ſalutem ſancti Petri viſitatio, quam duorum annorum jejunium. Excommunicavit inſuper, qui hujuſmodi viſitationes impediunt, aut diſſuadent.* Quanquam autem hoc recentioris ſcriptoris teſtimonium, nulla priſcorum auctoritate firmatum, non mereatur fidem: tamen infitiandum non eſt, ex quo Helena M. Conſtantini mater Hieroſolymas viſitavit, quod anno Chriſti 326. fecit, ejus veſtigia pluros Chriſtianos, nec modo viros, ſed & fœminas legiſſe, uti exempla apud Sul-

Sulpicium Severum, Hieronymum, Paulum Diaconum, Landulſum Sagacem, & alios illorum temporum auctores paſſim occurrunt.

§. 7. *Non obſtante Alexandri Cappadociſe exemplo.*

Non ignoro quod habet *Euſebius* H. E. l. 7. c. 11. de Alexandro in Cappadocia circa principium tertii ſeculi Epiſcopo, quem poſtquam memoraſſet nocturna revelatione appellatum eſſe ad participandum cum Narciſſo Hieroſolymorum Epiſcopo miniſterium, ſubjicit: ταύτῃ δ᾽ οὖν ὥςπερ κατάτι θεοπρόπιον ἐκ τῆς τῶν Καππαδοκῶν γῆς ἔνθα τὸ πρῶτον τῆς ἐπισκοπῆς ἠξίωτο, τὴν πορείαν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα, εὐχῆς καὶ τῶν τόπων ἱςορίας ἕνεκεν πεποιημένον ΦιλοΦρονέςατα οἱ τῇ δε ὑπολαβόντες ἀδελΦοί, οὐκ ἔτ᾽ οἴκαδε αὐτῷ παλινοςεῖν ἐπιτρέπουσι. *Hac igitur viſione tanquam divino admonitus oraculo Alexander, cùm ex Cappadocia, in qua primum Epiſcopus fuerat ordinatus, Hieroſolyma profectus fuiſſet, tum orandi, tum locorum viſendorum gratia, fratres illius Eccleſiæ humaniſſime eum exci-*

pientes reverti poſt hæc in patriam non ſiverunt. Sed & Euſebius hoc Alexandri iter deſcribit verbis intentionem hominum quarti ſeculi declarantibus, ubi religioſæ peregrinationes jam invaluerant: intimas Alexandri ipſius cogitationes non perſpexit. Hieroſolymas adiit hic peregrinator τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν, *ad viſendum loca*, licet in iis quoque preces fuderit. ubique enim manus ad Deum attollere oportet. Divina providentia Alexandrum Hieroſolymas perduxit, ut Narciſſum ſenio confectum laboribus ſublevaret.

§. 8. *Frequentatiſſima ſeculo XI.* Enim vero poſtquam Omar Saracenorum Chalipha templi condendi Hieroſolymis feciſſet Chriſtianis poteſtatem circa medium ſeculum VII. uti infra docetur: ſectitis temporibus uſque ad ſeculum XI. ante Francorum expeditionem in Palæ ſtinam ſuſcepta a populis ambulatoria hæc religio fuit, quo de verba *Glabri Rodolfi* ex *Uſſerio* de Stat. & ſucceſſ. Eccl.

Eccl. c. 4. §. 11. allegare operæ pretium duco. Sic vero is: *Ex univerſo orbe tam innumerabilis multitudo cœpit confluere ad ſepulcrum Salvatoris Hieroſolymis, quantum nullus hominum prius ſperare poterat. primitus enim ordo inferioris plebis; deinde vero mediocres; poſt hæc permaximi quique Reges & Comites ac Præſules: ad ultimum vero quod nunquam contigerat, mulieres multæ nobiles cum pauperioribus illuc perrexere.* Poſt ſubjicit: *Dum quidam de ſolicitatoribus, qui eo tempore habebantur, conſulti a pluribus fuiſſent, quid tantus populorum concurſus ad Hieroſolymam deſignaret, olim ſeculo inauditus præterito: reſponſum eſt a quibuſdam ſatis caute, non aliud portendere quam adventum illius perditi Antichriſti, qui circa finem ſeculi iſtius, divina teſtante authoritate, præſtolatur affuturus.*

Neque periculis, quæ peregrina- *§. 9. Inter Pericula.*
 tores

tores iis in locis ſubibant, Turcis Perſiſque per Orientem graſſantibus, retrahi a ſuperſtitione ſtulta gens mortalium poterat: *Inter has tam periculoſi temporis inſidias accedebat tam Græcorum quam Latinorum gratia devotionis ad loca venerabilia multitudo nonnulla, quibus per mille mortis genera, perque hoſtium regiones, ad urbem accedentibus negabatur introitus, niſi in porta aureus, qui pro tributo conſtitutus erat, janitoribus daretur. Sed qui in itinere cuncta perdiderant, & vix cum incolumitate membrorum ad loca pervenerant optata, unde tributum ſolverent, non habebant. Sic enim fiebat, ut ante urbem ex talibus mille vel plures collecti, & expectantes introeundi licentiam, fame & nuditate conſumti deficerent.* Guil. Tyr. hiſt. bell. ſacr. l. 1. c. 10. Tanti ſcil. conſtitit ignoraſſe Servatoris monitum: *venit hora quando neque in monte hoc, neque*

neque Hieroſolymis adorabitis Patrem, Joh. 4. 21.

Per idem igitur tempus, labente ad finem ſeculo undecimo, nam ex Oriente Petrus in Occidentem rediit anno MXC., *cum Deo placens prædicta civitas* (Hieroſolyma Malachiæ non Deo placens, ſed anathemate percutienda) *tantis ſubjecta eſſet moleſtiis, inter eos qui orationis gratia & cauſa devotionis ad loca accedebant venerabilia, ſacerdos quidam Petrus nomine de regno Francorum, de Epiſcopatu Ambianenſi, qui & re & nomine cognominabatur Heremita, eodem fervore tractus Hieroſolymam pervenit.* Id. ibid. c. 11. Is quum conditionem Chriſtianorum, ſive habitantium ibi, ſive aliunde eo venientium, partim ex hoſpite, Chriſtiano & ipſo, ample intellexiſſet, partim oculis ſuis vidiſſet, cum Symeone Patriarcha Hieroſolymitano agit de ratione Chriſtianum populum ab infidelium oppreſſionibus

§. 10. *Petrus Eremita.*

onibus liberandi, Viroquę religioſo facile perſuadet, *ſcriberet diligentius tam Domino Papæ & Eccleſiæ Romanæ; quam Regibus & Principibus Occidentis, & ſcriptum ſigilli ſui auctoritate corroboraret. Ego vero,* ait, *pro remedio animæ meæ hunc laborem mihi aſſumere non refugio, ſed autore Domino paratus ſum omnes convenire, omnes ſolicitare, inſtantius ærumnarum veſtrarum immenſitates perorare, & ad properandum remedium diligenter invitare.* l. c.

§. 11. *Perſuadet expeditionem in Palæſtinam.* Munitus itaque literis Patriarchæ, & quod hiſtoricus addit, viſo confirmatus, mercatoria navi in Apuliam transfretat. *Inde Romam profectus D. Papam Urbanum circa illas partes reperit, cui D. Patriarchæ & fidelium qui Hieroſolymis habitabant, literas porrigit, eorumque exponit miſerias, & abominationes, quæ in locis ſanctis fiebant a gentibus immundis.* Urbanus cum benigne ſuſci-

ſuſcipit, ſeque id negotium fideliter eſſe curaturum tempore opportuno promittit. Neque erat efficacius medium frangendi Regum & Principum Pontificiæ auctoritati adverſantium vires. *Petrus autem omnem transcurrens Italiam zelo divino ſuccenſus, Alpes tranſiens, Occidentales Principes omnes ſigillatim circuit, inſtat ſolicitus, increpat, arguit, atque cooperante gratia monendo quibuſdam perſuadet, ut fratribus in tanta afflictione poſitis ſubvenire non differant, & loca ſancta, quæ Dominus propria dignatus eſt illuſtrare præſentia, infidelium ſpurcitiis diutius profanari non permittant. Nec viſum eſt ei ſufficere, quod hoc apud principes diſſeminaret, niſi etiam & plebes & inferioris manus homines, id ipſum piis exhortationibus animaret. Percurrens enim nationes pie ſolicitus, & regna, pauperibus & abjectiſſimis perſonis legationi ſuæ fideliter ſatisfaciens, id ipſum evange-*

ge-

gelizabat. Tyr. l. I. c. 13. Eadem refert Albertus Aquenſis hiſt. Hieroſ. l. 1.

§. 12. *Cum Urbano II. in Synodo Claramontana.*

Accidit hoc circa annum ſeculi XI. nonageſimum: anno autem nonageſimo quinto Urbanus II. metu Henrici IV. Imperatoris, cujus ingratiis Romanam ſedem tenebat, ex Italia in Galliam transgreſſus, ad Clarum montem, Alverniæ civitatem, regnante in Francia Philippo I. Concilium egit, multorum Principum, Epiſcoporum & Abbatum præſentia decoratum, quibus prolixa oratione Sionis & Hieroſolymorum encomia e V. T. repetente, ſuſcipiendam in Palæſtinam expeditionem perſuaſit, cumulatam noxarum omnium expiationem pro longinquæ militiæ ærumnis, cunctis, qui illi nomen darent, pollicitus. Can. II. *quicunque pro ſola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Eccleſiam Dei Jeruſalem profectus fuerit, illud iter pro omni pæ-*

pœnitentia reputetur. Quare univerſus Occidens, Italia excepta, quam Pontifex periculoſo hoc itinere non imprudenter exemerat, Apoſtolicæ ſedis potentiæ conſulens numeroſiſſimos brevi ad id bellum exercitus fudit, anno ſequenti diverſa via, ſub auſpiciis præſertim Gothofredi Bullionæi Lotharingiæ Ducis, (qui Paulo Æmilio teſte, ad expianda peccata, ſignatis cruce militibus hiſce ſe aggregavit) atque Petri Eremitæ, per varios caſus & multa rerum diſcrimina in Palæſtinam ductos.

§. 13. *Occupatis Hieroſolymis via manent infeſta.*

Equidem Hieroſolymæ anno memorati ſeculi ſupra nonageſimum nono fuere occupatæ, & Gothofredus Rex conſtitutus: verum & Saraceni, Turcæ, Ægyptiique poſtea ſæpius in regnum irruerunt, & latrones continuis incurſibus vias maxime infeſtarunt, ut qui ad ſancta miſerandæ telluris loca contenderent, tot fere ſe, quot antea, periculis exponerent. Atque hanc ob rem nonnullorum animos

mos ſubiit religio, qua ſeſe ad ſacri ſepulchri cuſtodiam, & viatorum illud viſitaturorum a graſſatoribus defenſionem adſtrinxerunt. Epit. bellor. ſacror. *Juxta exigentiam temporum ſuperius prolatam, cum ex omnibus mundi partibus, divites & pauperes, ſenes & juvenes, utriuſque ſexus loca ſancta viſitaturi Jeroſolymam pergerent: latrunculi quidam & raptores, viarum publicarum prædatores incautis peregrinis inſidiantes, multos ex ipſis ſpoliabant, quoſdam etiam trucidabant. quidam autem Deo amabiles & devoti milites, charitate ferventes, mundo renunciantes, & Chriſti ſervitio ſe mancipantes in manu Patriarchæ Jeroſolimitani profeſſione & voto ſolenni adſtrinxerunt, ut a prædictis latronibus & viris ſanguinum defenderent peregrinos, & ſtratas publicas cuſtodirent.*

Id primi fecere Equites novem, viri Illuſtres, Latini omnes primæque

in

in Palæſtinam expeditionis ſocii, & inter eos referente Tyrio l. 12. c. 7. *Hugo de Paganis* (de Payens) & *Ganfredus de Sancto Aldemaro*, quem Matthæus Paris in Henrico I. Godefridum de S. Audemaro, autor Epitomes bellor. ſacror. *Galfredum de S. Aldemaro*; Volaterranus autem l. 21. & ex eo Polydorus Vergilius de invent. Rer. l. 7. c. 5. Ganfredum de S. Alexandro appellant. Præter Hugonem & Godofredum in Synodo Trecenſi ſe ſtiterunt frater *Rorallus*, *Gaufridus Biſol*, *Paganus de monte deſiderii*, & *Archembaudus de Sancto Amano*, uti ex prologo regulæ Templariorum inferius exhibendæ conſtat. Reliquorum nomina licet undiquaque quæſita non obſervavi. §. 14. *Templariorum ordinis auctores.*

Prima autem eorum profeſſio, quodque eis a D. Patriarcha & reliquis Epiſcopis in remiſſionem peccatorum injunctum eſt, ut vias & itinera, maxime ad ſalutem peregri- §. 15. *Inſtitutum.*

grinorum contra latronum & incurſantium inſidias pro viribus conſervarent, verba ſunt laudati porroque laudandi ſæpius *Tyrii*, l. c. quæ fere *Mattheus Paris* exſcripſit. Iidem viri *Deo devoti, religioſi & timentes Deum, in manu D. Patriarchæ, Chriſti mancipantes ſe ſervitio, more Canonicorum regularium in caſtitate & obedientia, & ſine proprio velle perpetuo vivere profeſſi ſunt*. Quod ipſorum inſtitutum diſtinctius conſiderare lubet.

§. 16. *Inſtituti cauſſa religio.* Tyrius illud arceſſit ex religione Deique timore. Equidem auctores hac fuiſſe præditos virtute non ambigimus, ſiquidem & *Bernhardus* Abbas Clarævall. eos magnopere laudat, *Exhort. ad milit.* c. 4. ſaltem monemus, prolapſis ad ſuperſtitionem ſeculis, & Chriſtiana religione in rituum pompam, operumque externorum onus commutata, eos in primis pietatis vel ſanctitatis meruiſſe encomium, qui aut Eccleſiam, & maxi-

maxime Clericos, monachosque liberaliter dotarint, aut opes extruendis reparandisque templis, ſacrariis & monaſteriis impenderint, aut neceſſitatem præſtandi opera a Deo non præcepta ſibi impoſuerint, aut alitercunque a vulgo Chriſtianorum ſe diſtinxerint. uti jam ſeculo IV. Gregorius Nyſſenus εὐσεβέστατον appellavit βασιλέα, *piiſſimum Regem*, a quo vehiculum ad iter acceperat, *Epiſt.* de Hieroſolym. peregrinator. Nempe proh dolor ſecutis mage temporibus, neglecta jacebat fœcunda & unica pietatis mater, veritatis ſecundum pietatem cognitio, & tradita fere oblivioni erat Chriſti ad Patrem pro diſcipulis precatio: *Fac eos veritate tua ſanctos, verbum tuum veritas eſt*, Joh. 17: 17. nec ſine tædio legi poſſunt interpretamenta locorum ſacræ ſcripturæ, unde unum alterumve opus, tum temporis judicatum bonum, comendabant concionatores dicam an hiſtriones?

§. 17. *Canonici quinam dicti. Varia membrorum Eccleſiæ nomina.*

Ipſum vero quod amplexi ſunt vitæ inſtitutum, *Canonicorum* erat *regularium*. Ab origine prima dividebatur Chriſtiana Eccleſia in cœtum, atque in eos, qui præerant cœtui; & hi quidem vel laborabant verbo, Epiſcopi aut Presbyteri ſine diſcrimine appellati, vel ægrotos pauperesque curabant, inde vocati Diaconi, atque ad vitam moresque fratrum attendebant, presbyterorum, i. e. ſeniorum nomine venerabiles. Sed mature ſatis novæ cum diſtinctiones membrorum Eccleſiæ, tum appellationes ſunt exortæ. Nam & *Epiſcopi* a *presbyteri* vel ſenioris appellatione differebat, habebaturque honorabilior; & in genere miniſtri Eccleſiæ, ſive Epiſcopi ſive presbyteri eſſent, *ſacerdotes* vocabantur, mox *Clericorum* titulo diſcernebantur a cœtu, qui licet a Petro κλῆρος dictus, Laïcorum nomine veniebat. *Ignat*. Epiſt. ad Smyrn. Ἀσπάζομαι τὸν ἀξιόθεον ἐπίσκοπον, καὶ θεο-

πρε-

προεϛῶτα τὸν πρεσβυτέριον, τοὺς συνδούλους μου διακόνους. Et Epiſt. ad Magneſ. προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν Ἀποςόλων, καὶ τῶν διακόνων, τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιςευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριςοῦ. ob quas & ſimiles dictiones Cl. *Nethenum* meum olim collegam conjunctiſſimum haſce Epiſtolas Ignatianas parum probaſſe recordor. Tertull. de Exhort. caſtit. *Vani erimus, ſi putaverimus, quod ſacerdotibus non liceat, laïcis licere.* Cyprian. Epiſt. 52. *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis, quæ tum affuit, ſuffragio, & de ſacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.* Hieron. l. 2. Epiſt. 14. *Si cleros græce, ſors latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ipſe ſors, i. e. pars Clericorum eſt.* addiderim ego, vel quia tum jam vul-

go Chriſtianorum ex faſtu præferri appellatione ſingulari voluere. Deinde Pauli Thebæi, Antonii, Baſilii & Hilarionis ætate nati in Eccleſia ſunt *Monachi*, medium inter Clericos & Laïcos genus, qui primum in ſolitudinibus, mox & in urbibus ſegregati ab humana ſocietate ſtrictioris vitæ gratia egerunt. Secutis porro temporibus illi ex Clericis, qui vel deſtinati miniſterio Eccleſiæ, vel in eo jam conſtituti, propter templum ſive in ipſo Epiſcopio ſive in ædibus ei contiguis, menſa dormitorioque communi ſunt uſi, & certis adſtricti regulis, vita Monaſtica paullo liberioribus, in Epiſcopi vel præpoſiti diſciplina ſtudiis ſacris operam navarunt communem, *Canonicorum* nomen obtinuerunt. Carol. M. Capit. l. 1. c. 73. *Similiter, qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam vitam, volumus ut illi canonice ſecundum ſuam regulam omnimodis vivant, & Epiſcopus eorum*

rum regat vitam, ſicut Abbas monachorum. Concil. Arelat. an. 813. Can. VI. *Providendum neceſſe eſt unicuique Epiſcopo, qualiter Canonici vivere debeant, nec non & monachi, ut ſecundum ordinem canonicum* vel *regularem vivere ſtudeant.* Et Concil. Mogunt. ejusdem anni can. IX. *In omnibus igitur quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici clerici Canonice vivant, obſervantes divinæ ſcripturæ doctrinam, & documenta ſanctorum Patrum, & nihil ſine licentia Epiſcopi ſui vel Magiſtri eorum compoſite agere præſumant in unoquoque Epiſcopatu.* Unde colligere eſt, ſic eſſe appellatos a Canonibus ſive regulis obſervandis, etſi Carolus du Freſne in Gloſſar. exiſtimet, *dictos a canone frumentario ſeu ſportulis Eccleſiaſticis & ſtipendiis annuis vel menſtruis, quæ ex Eccleſiaſticis reditibus accipiebant.* Rectius obſervat idem, Canonicorum nomen Gregorii

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Turonenſis ævo jam notum fuiſſe, utpote qui ſcribat hiſtor. l. 10. c. 13. Baudinum Turonenſis Eccleſiæ Epiſcopum menſam *Canonicorum* inſtituiſſe.

§. 18. *Canonici regulares & ſeculares quinam?* Quum autem aucta ſeculi corruptione, & luxu licentiaque in Eccleſia dominante, Canonici plerique neque Regum legibus, neque Synodorum decretis ad vitam canonicam retracti, præſcriptas ſibi regulas negligere pergerent, tandem de reſtaurando veteri inſtituto cogitatum eſt, nomenque *Canonicorum Regularium* illis datum, qui diligentius ſui ordinis canones obſervarent, uti *Canonici ſeculares* audiebant eorum deſertores aut contemtores. Conſtitut. Galteri Archiep. Senon., qui obiit anno 923. can. IX. *moneantur etiam canonici & clerici Seculares, quod ipſi in habitu ſuo & aliis, præcepta tradita in generali concilio fideliter & obedienter obſervent.* tom. IX. Concil. Humbertus de Romanis, nobilis

bilis prædicator, qui anno 1276. obiiſſe ſcribitur, ſeculares Canonicos dictos putavit, quod in ſtatu ſeculari canones cuſtodire debeant, Serm. LX. *notandum quod canonici aliqui dicuntur ſeculares, non quod ſeculariter debeant vivere, cum dicat Apoſtol.* Rom. 12, nolite conformari huic ſeculo: *ſed quia cum ſint in ſtatu ſeculari, debent regulariter vivere: quod ſonat hoc verbum canonici, quod idem ſonat quod regulares. Canon enim Græce id eſt regula latine. unde extat quædam regula Canonicorum ſecularium approbata a Paſcaſio Papa, & a Cardinalibus qui ſubſcripſerunt ſe, in qua ſunt plurima bona, quæ debent regulariter hujusmodi Canonici facere. Sciendum igitur, quod hujusmodi Canonici regulariter debent in ſuis Eccleſiis reſidere, - - item reſidentes debent certis horis ad Eccleſiam convenire ad officium divinum. item convenientes debent in miniſteriis ſuis peragere ea, quæ*

pertinent ad cultum Dei. Quo contra proh dolor! multi non reſident, & alibi conſumunt bona quæ ibi accipiunt. multi vero de reſidentibus ad eccleſiam cum aliis rariſſime veniunt. multi vero de venientibus in miniſteriis ordinum ſuorum deſervire dedignantur. item non debent ſuis ſuperioribus debitam ſubjectionem ſubtrahere, ſed devotam obedientiam reddere. item inter ſe non diſcordias, ſed pacificam concordiam habere debent. Trith. in Chron. Hirſaug. ad ann. 977. *Anno iſto moritur Theodoricus Archiepiſcopus Trevirenſis, ſub quo Canonici majoris eccleſiæ ibidem abjecta regulari vita, quam hucusque in eadem eccleſia majores eorum continuaverant, deſierunt eſſe regulares, & facti ſunt nomine & converſatione ſeculares. Quorum exemplo malo Canonici quoque S. Paulini Trevirenſes, S. Caſtoris in Confluentia, Moguntinenſes, Wormatienſes, Spirenſes & complurium aliarum*

aliarum eccleſiarum diverſis quidem temporibus, ſed uno impietatis ſpiritu, regularis vitæ communitatem abjecerunt. Similem de Canonicorum pravitate querelam movit ſeculi XII. ſcriptor gravis *Jacobus de Vitriaco* hiſt. Hieroſ. c. 71. *Regulares autem* (ait) *poſtquam veneno divitiarum infecti amplis poſſeſſionibus ſupra modum excreverant, contemptis ſuperioribus ſuis, disrumpentes vincula eorum, & projicientes ab ipſis jugum ipſorum, non ſolum Eccleſiis & Eccleſiaſticis viris moleſti facti ſunt, ſed & ipſi invicem invidentes, & invicem detrahentes, non ſine gravi ſcandalo totius Chriſtianitatis, usque ad apertas contumelias, & odia manifeſta, & fere usque ad conflictus, & violentias & pugnas non ſolum verborum, ſed & verberum plerumque procedebant.* legatur *Humberti* modo citati ſermo LIX. ubi in crimina Canonicorum & Cleri cathe-

dralis Eccleſiæ, luxum, impudicitiam, divini cultus negligentiam, faſtum, pertinaciamque graviſſime invehitur, *tom.* XXV. Bibl. Patr.

§. 19. *Utrique adſtricti regula Auguſtini.* Laudatus equidem Carolus du Freſne putat, Canonicos Regulares nominari, qui vivant *ſecundum regulam iis propriam ac præſcriptam, cum ſeculares dicantur vivere ſecundum Canones ſeu regulas Clericis omnibus indictas.* Verum ex Jacobi de Vitriaco teſtimoniis ab ipſo du Freſne productis manifeſtum eſt, cum ſeculares tum regulares Auguſtini regula fuiſſe adſtrictos. Sic enim in hiſt. Occid: c. 30. ſcribit: *Cathedralium Eccleſiarum miniſtri, quos nunc Canonicos ſeculares appellamus, ſub eadem regula* (du Freſne intelligit S. Auguſtini) *communiter a prima eorum inſtitutione Domino ſervierunt in humilitate, paupertate, divinis officiis, lectionibus & orationibus vacando, in caſtris Domini militantes; ſimul in refectorio ſobrium*

ſobrium cibum ſumentes, in eodem etiam dormitorio caſtis cubilibus nocte quieſcentes. Et cap. 21. *Illi autem, qui Canonici regulares dicuntur, B. Auguſtini regulam pro fundamento religionis habentes, media & regia via incedentes, ſecundum primas regularium inſtitutionum obſervantias, camiſiis & femoralibus, ſuperpellitiis & pellibus, culcitis & linteaminibus utuntur. Camiſias & femoralia de nocte non deponunt, poſt matutinas ad cubicula revertentes, cauſa recreationis dormiunt. Novem lectionum numerum in nocturno officio non excedunt: tribus diebus in hebdomada carnes edunt: piſces, ova, caſeum in refectorio diebus aliis manducant.* Hæc fuſius allegare placuit, ut pateret, quodnam fuerit Regularium Canonicorum inſtitutum a Templariis obſervatum. *Albericus* in Chronico apud Natalem Alexandr. exiſtimavit, Templariis regulam Auguſti-

ni

ni in Synodo. Trecenſi fuiſſe præſcriptam: quod recte infitiatur *Natalis*, quia peculiarem ipſis regulam Trecenſes Patres tradiderint obſervandam.. Tantum addo, Templarios in primordio inſtituti, conſilio & autoritate Hieroſolymitani Patriarchæ, profeſſos eſſe, more Canonicorum regularium ſe victuros; iſtos vero Auguſtini regulam habuiſſe.

§. 20. *Fabula de Auguſtini regula.*

Quod ad *Auguſtini regulam* attinet, vetus eſt fabula a Monachis ad gloriam ordinis conficta, pium hunc Hipponenſis Eccleſiæ Doctorem certum fratribus præſcripſiſſe vivendi modum; ſed quam ridet Eraſmus, nec Polydorus Vergilius credere potuit. Capita ejus regulæ, qui volet, legere poterit in Hoſpiniani hiſt. de Orig. Monach. l. 6. c. 2. Vixit quidem Auguſtinus cum Theologiæ ſtudioſis, qui deinde aucti rerum ſacrarum notitia Hipponenſi aliisve Eccleſiis, rogantibus Epiſcopis, dati fuere miniſtri, ſed ut docti ob-

obſervarunt; neque ſecundum aliam, quam Apoſtolorum regulam vixiſſe, Poſſidonius ſcribit.

Ceterum *vota*, quibus ſe more Canonicorum Regularium obſtrinxere, erant paupertatis, cœlibatus & obedientiæ. *More Canonicorum Regularium in obedientia & caſtitate, & ſine proprio militaturi ſummo Regi*, Jac. de Vitr. hiſt. Hier. c. 65. Et *Bernhardus* Exhort. ad mil. c. 5. *Honorant certatim Dei templum ſedulis & ſinceris obſequiis, jugi in eo devotione immolantes, non quidem veterum ritu pecudum carnes, ſed vere hoſtias pacificas, fraternam dilectionem, devotam ſubjectionem, voluntariam paupertatem.* Eſt autem Clericorum Monachorumque tergemina paupertas: *Altiſſima*, quando nec in proprio, nec in communi quicquam poſſidemus, nec agros, nec domum, nec reditus, nec pecora, nec veſtimenta, nec libros, nec rei ſupellectilis quic-

§. 21. *Templariorum tria vota.* *Paupertas triplex.*

quicquam: *Media*, qua nihil quidem proprii, quædam tamen in communi poſſidemus, ut libros, veſtimenta, & victum quotidianum; & denique *Infima*, cum aliqua & propria & communia, ſed ea tantum, quæ ad victum & cultum naturalis neceſſitas exigit, habere licitum eſt, ut veſtimenta, libros, ſtipendia, fundos & agros aliquot, & cetera, quæ ad tuendam vitam pertinent. Atque mediam ab initio profeſſi ſunt Templarii paupertatem, quippe qui proprii nihil habentes ſtipe collecta ſe primum ſuſtentarunt, mox autem immenſas, ut infra audiemus, divitias acquiſiverunt, ſtultam ſuperſtitioſis hominibus liberalitatem exercentibus.

§. 22. *Votum paupertatis Hieronymi ætate factum.* Voluntariæ paupertatis votum jam Paula, Romana fœmina vovit apud Hieron. l. 3. Epiſt. 8. nam *teſtem invocabat Deum, ſe hoc habere voti, ut mendicans ipſa moreretur, ut unum nummum filiæ non dimitteret,* &

& in funere ſuo aliena ſindone involveretur. --- Denique conſecuta eſt, quod optabat; & in grandi ære alieno filiam dereliquit, quod hucusque debens non ſuis viribus, ſed Chriſti ſe confidit miſericordia reddituram. Ipſe paſſim Hieronymus eos, qui bonis ſuis renunciant, ceu perfectos laudat. *Quod autem aſſeris, melius eos facere, qui utuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus dividunt, quam illos, qui poſſeſſionibus venundatis, ſemel omnia largiuntur: non a me eis, ſed a Domino reſpondebitur: ſi vis eſſe perfectus, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me,* l. 2. c. Vigilant. Similia habet l. 2. Epiſt. 6. 16. 20. 23.

Paupertatem comitari debuit *cœlibatus*, quem glorioſo *caſtitatis* nomine inſigniverunt, ſtatum cum virtute confundentes. Et certe prima jam Chriſtianæ Eccleſiæ ætate ex utro- §. 23. *Voti cœlibatus origo.*

utroque ſexu quosdam, non modo commoditatis gratia, ſed & ſanctitatis opinione; a matrimonio ſe continuiſſe, vel continentiam eam ſuaſiſſe, apparet ex iis, quæ Paulus 1. Cor. 7. cap. fuſe de hoc argumento diſputat. Quare & pronunciat, *ſervatum iri fœminam, ſi manſerit in fide, & charitate, & ſanctimonia cum modeſtia* διὰ τῆς τεκνογονίας, 1. Tim. 2: 15. *non obſtante liberorum partu*, quam eſſe vim præpoſitionis διὰ loca ſimilia docent; ut Rom. 2: 27. condemnabit te τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου; *qui legis es transgreſſor, etſi ſcriptam acceperis legem, & circumciſus ſis.* Rom. 4: 11. *ut eſſet Pater omnium credentium* δι᾽ ἀκροβυστίας, *non obſtante præputio* 1. Petr. 3: 20: *in qua ſervatæ paucæ, i. e. octo animæ* δι᾽ ὕδατος; *non obſtante diluvio*; mediis in aquis.

§. 24. *Commendati a Pinyto &c.* Labente poſt ad finem ſeculo II. *Pinytus* Gnoſiorum Epiſcopus abſtinen-

nentiam a conjugio commendavit. Quam ob rem Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, Soteris Romani æqualis, epiſtola ipſum monuit, μὴ βαρὺ Φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελΦοῖς ἐπιτιθέναι, τῆς δε τῶν πολλῶν καταςοχάζεσθαι ἀσθενείας. *Ne grave ſervandæ caſtitatis onus neceſſario fratribus imponat, ſed multorum ſeſe imbecillitati attemperet.* At Pinytus reſpondens θαυμάζει μὲν καὶ ἀποδέχεται τὸν Διονύσιον, ἀντιπαρακαλεῖ δὲ ϛεῤῥοτέρας ἤδη ποτὲ μεταδιδόναι τροΦῆς, τελειοτέροις γράμμασιν εἰσαῦθις τὸν ὑπ᾽ αὐτῷ λαὸν ὑποθρέψαντα, ὡς μὴ διατέλȣς τοῖς γαλακτώδεσιν ἐνδιατρίβοντες λόγοις τῇ νηπιώδει ἀγωγῇ λάθοιεν καταγηράσαντες. *Suſcipit quidem ac laudat Dionyſium, verum hortatur viciſſim, ut jam ſolidiore cibo tradito populum ſibi concreditum perfectioribus literis paſcat, ne perpetuo lacteis ſermonibus immorantes, in puerili inſtitutione negligenter conſeneſcant.* Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 4. c. 23.

§. 25. Lactantio. Quæ *Lactantius* Inſtit. l. 6. c. 23. hanc in rem habet, omnino merentur addi. *Nec vero* (ſcribit ille) *aliquis exiſtimet, difficile eſſe frenos imponere voluptati, eamque vagam & errantem caſtitatis pudicitiæque limitibus includere, cum propoſitum ſit hominibus eam vincere, ac plurimi beatam atque incorruptam corporis integritatem retinuerint, multique ſint, qui hoc cæleſti genere vitæ feliciſſime perfruantur. Quod quidem Deus non ita fieri præcepit, tanquam adſtringat, quia generari homines oportet, ſed tanquam ſinat. Scit enim quantam his affectibus impoſuerit neceſſitatem. Si quis hoc, inquit, facere potuerit, habebit eximiam incomparabilemque mercedem. Quod continentiæ genus quaſi faſtigium eſt, omniumque conſummatio virtutum, ad quam ſi quis eniti eluctarique potuerit, hunc ſervum Dominus, hunc diſcipulum Magiſter agnoſcet, hic*

hic terram triumphabit, hic conſimilis erit Deo, qui virtutem Dei cepit.

Sed quod hactenus in Chriſtianorum fuit arbitrio relictum, paulatim abiit in præceptum, & cælibatus lege adſtringi cæpere non modo clerici Monachique omnes, ſed & laïci, qui virginitatis votum fecerant. Diſertus eſt hac de re Synodi Eliberinæ anno Æ. C. 305. celebratæ canon 33. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe a conjugibus ſuis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* Et Synodi Ancyranæ quam Caballutius ad ann. 314. refert, canon 19. ſancit: ὅσοι παρθενίαν ἐπαγγελλόμενοι, ἀθετοῦσι τὴν ἐπαγγελίαν, τὸν τῶν διγάμων ὅρον ἐκπληρούτωσαν. *Quicunque Virginitatem profitentes profeſſionem ſuam reddunt irritam, ii bigamorum definitionem im-* §. 26. *Præcepti autem ævo poſteriore.*

impleant, qua ſcil. nonniſi elapſo anno ad ſanctorum communionem ſunt admiſſi. In Concilio Niceno *viſum erat Epiſcopis novam legem in Eccleſiam inducere, ut quicunque in ſacrum ordinem allecti eſſent, i. e. Epiſcopi, presbyteri, & diaconi, ab uxorum quas cum laïci eſſent, matrimonii jure ſibi ſotiaverant, concubitu abſtinerent. cumque hac re in medium propoſita, ſingulorum ſententiæ rogarentur, ſurgens in medio Epiſcoporum conſeſſu Paphnutius, vehementer vociferatus eſt, non eſſe imponendum Clericis & Sacerdotibus grave hoc jugum: honorabiles nuptias & torum immaculatum eſſe dicens; ne ex nimia ſeveritate damnum potius inferrent Eccleſiæ. neque enim omnes ferre poſſe tam diſtrictæ continentiæ diſciplinam. ac forſitan inde eventurum eſſe, ut cujusque uxoris caſtitas minime cuſtodiretur. caſtitatem autem vocabat congreſſum viri*

cum

cum uxore legitima. Socrat. hiſt. Eccl. l. 1. c. 11. Siritius autem Romanam ad ſedem anno 385. evectus, cum Monachos Virginesque propoſitum non ſervantes, tum clericos vel Miniſtros, a conjugum uſu non abſtinentes, gravi Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum data notavit, eamque repetiit Innocentius I. qui anno 402. poſt Anaſtaſium Siritio ſucceſſit. Sic enim inter cetera Innocentius ad Exuperium Tholoſanum Epiſcopum ſcribit: *Propoſuiſti, quid de his obſervari debeat, quos in Diaconi miniſterio, aut in officio presbyterii poſitos, incontinentes eſſe aut fuiſſe, generati filii prodiderunt. De his & divinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siritii Epiſcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus poſiti, omni Eccleſiaſtico honore privarentur, nec admittantur ad tale miniſterium.*

quod ſola continentia oportet impleri. Arelatenſis porro Concilii II. quod nonnulli ad tempora Siritii referunt, Cabaſſutius autem habet 452. decretum II. ſtatuit: *aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo conjugii conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio.* Et cap. 33. *De puellis quæ ſe voverunt Deo, & præclari nominis decore floruerunt, ſi poſt 25 annos ætatis ad terrenas nuptias ſponte tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decrevimus, ut cum his, cum quibus ſe obligaverint, communione priventur, ita ut eis poſtulantibus pœnitentia non negetur, cujus pœnitentiæ communio multo tempore differatur.* Ita canon 16. Concilii Chalcedonenſis anno 430. habiti decernit: παρθένον ἀναθεῖσαν ἑαυτὴν τῷ δεσπότῃ θεῷ, ὡσαύτως καὶ μονάζοντας, μὴ ἐξεῖναι γάμῳ προσομιλεῖν. εἰ δέ γε εὑρεθεῖεν τοῦτο ποιοῦντες, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι. *Virginem quæ ſe Domino Deo dedicavit, ſimiliter*

militer & Monachos, non licere matrimonio conjungi. Sin autem hoc feciſſe inventi fuerint, ſint excommunicati. Vid. Synodi Turon. II. canon XI. XV. & Toletanæ IX. canon. X. & forte his omnibus antiquiores Apoſtolorum VI. XVII. XXVII. Interim quicquid de Clericorum Monachorumve continentia ſtatuendum ſit, fateri tamen oportet, cælibatum cum militari Templariorum vita melius longe quam matrimonium conveniſſe.

§. 27. *Votum obedientiæ.*

Tertio denique ſacri milites noſtri fecere votum obedientiæ Hieroſolymitano Patriarchæ præſtandæ, imitati Monachos qui Abbati, vel Clericos qui Epiſcopo ſuo alterive præpoſito parebant. *Præpoſitum monaſterii timeas ut Dominum, diligas ut Patrem; credas tibi ſalutare quicquid ille præceperit, nec de majoris ſententia judices, cujus officii eſt obedire, & implere quæ juſſa ſunt, dicente Moyſe: Audi*

Iſraël & tace. Hieronymi eſt admonitio l. 2. Epiſt. 15. De Monachis Orientalibus Sulpicius Severus Dial. 1. c. 17. *Præcipua*, ait, *ibi virtus & prima eſt obedientia, neque aliter adveniens ad monaſterium Abbatis ſuſcipitur, quam qui tentatus prius fuerit & probatus; nullum unquam recuſaturus quamlibet arduum ac difficile, indignumque toleratu Abbatis imperium.* Mox ſubjungit mirabile duorum monaſtici ordinis candidatorum exemplum, quorum unus jubente Magiſtro medias ardentis clibani flammas intravit illæſus, alter vero aridæ virgæ ſolo fixæ irriguam per biennium miniſtravit aquam, e Nilo flumine per duo fere millia petitam, propriisque humeris quotidie convectam, donec tandem anno tertio floreret: c. 18. 19. Magne Deus! quantum non gloria tua inter mortales caperet incrementum, ſi ad ſancta, ad juſta, ad ſalutaria præ-

cepta

cepta tua exequenda tam eſſemus alacres tamque prompti & firmi, quam fuere morigeri, in rebus etiam temerariis & duriſſimis faciendis, miſelli homines, quos ſtulta ſuperſtitio iniquis injuſtisque magiſtris mancipaverat? Quin tu, Domine, da quod jubes, & jube quod vis! Lex tua ſapiens & ſalutaris eſt, jugum tuum facile, & onus tuum leve. At ſuo loco memorabitur, cito ſatis Templarios Patriarchæ Hieroſolymitani ſe imperio ſubtraxiſſe.

Officium quod in primis Patriarcha cæterique Epiſcopi ab iis exigebant, erat, ut diximus, terræ ſanctæ ab incurſantibus barbaris vindicatio, & peregrinantium ab inſidiis eorum & latrociniis defenſio, qua de magnifica ſatis verba ſunt *Bernhardi* in Exhort. ad milit. c. 1. *Novum* (ait is) *militiæ genus ortum nuper auditur in terris, & in illa regione, quam olim in cruce præ-* § 28. *Templariorum officium, &c.*

ſens viſitavit Oriens ex alto, ut unde tunc in fortitudine manus ſuæ tenebrarum principes exturbavit, inde & modo ipſorum ſatellites, filios diffidentiæ in manu fortium ſuorum diſſipatos exterminet, faciens etiam nunc redemptionem plebis ſuæ, & rurſum erigens cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Et *Jac. de Vitriaco* hiſt. Hieroſ. c. 65. *Procedente* (ſcribit) *tempore cum omnibus mundi partibus divites & pauperes, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus loca ſancta viſitaturi Hieroſolymam pergerent, latrunculi quidam & raptores, & viarum publicarum prædatores, incautis peregrinis inſidiantes, multos ex ipſis ſpoliabant, quosdam autem trucidabant. Quidam autem amabiles & devoti milites charitate ferventes, mundo renunciantes, & Chriſti ſe ſervitio mancipantes, in manu Patriarchæ Hieroſolymitani profeſſione*
&

& voto ſolemni ſe adſtrinxerunt, ut a prædictis latronibus & viris ſanguinum defenderent peregrinos, & ſtratas publicas cuſtodirent, more Canonicorum Regularium in obedientia & caſtitate, & ſine proprio militaturi ſummo Regi. Reverſi ex oriente voto Monachorum defenderunt monaſteria & ipſorum prædia adverſus potentiorum latrocinia. Petrus Abbas Cluniac. Epiſt. 26. l. 6. *Nobilis vir Dominus Humbertus de Bullojoco nuper a partibus transmarinis veniens ad partes noſtras rediit, & cum immenſa exultatione ab omni illa terra ſuſceptus eſt. - - gaudebant Clerici, gratulabantur Monachi, plaudebant ruſtici: totusque adjacentium nobis Eccleſiarum chorus velut quoddam novum canticum reſonabat. E converſo raptores dolebant, Eccleſiarum pervaſores, monachorum, pauperum, viduarum orphanorum, atque ignobilis nec ſe ſuis*

ſuis viribus defendere prævalentis vulgi deprædatores, imo oppreſſores gemebant. - - - Vice Comitem Matiſcenſem, terræ noſtræ matutinum, veſpertinum, atque nocturnum lupum ita ſubegit, ut jure quantum ad hoc pertinet, cum juſto Iob dicere poſſit: conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. hoc & de multis aliis, & cis Ligerim, & ultra Ligerim poſitis, parviſſimo, h. e. ex quo rediit tempore fecit. - - ſed forte dicitis: contra Paganos, non contra Chriſtianos arma ſumſimus. Sed quis magis a vobis vel a veſtris impugnandus eſt, Deum neſciens paganus: aut ipſum verbis confitens, & factis contra eum dimicans Chriſtianus? Hocce tamen præſidium Monachis non ex vi regulæ ſuæ, ſed ſuopte arbitrio Templarii tulerunt.

§. 29. *Officii fructus.* Officium iſtud militibus noſtris Patriarcha & Epiſcopi cæteri, Tyrio

rio teſte; injunxere ad conſequendam *peccatorum remiſſionèm*, quam partim de condonatione pœnarum ab Eccleſia injunctarum, partim de iræ divinæ, crimina prementis, placatione intelligere licet. Matth. Pariſ. p. 67. *prima eorum profeſſio erat, ut in remiſſionem peccatorum ſuorum, vias & itinera ad ſalutem peregrinorum contra latronum inſidias conſervarent.*

Solebat quippe Eccleſia ad coërcendam peccandi licentiam, prolapſis in ſcelera definitas canonibus imponere pœnas, quas qui pertulit, ſatis Eccleſiæ fecit, peccatique eſt veniam nactus. Hinc Auguſt. ad Laurent. c. 65. *Recte conſtituuntur ab his, qui Eccleſiæ præſunt tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata.* Vid. Synodi Ancyranæ cap. 4. & ſeqq. Sic Innocentius I. cap. 7. decret. monet: *De pœnitentibus vero qui ſive ex graviori-* §. 30. *Satisfactio Canonica.*

bus

bus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Concilium Toletanum III. can. XI. *Quoniam comperimus per quasdam Hiſpaniarum Eccleſias non ſecundum canones, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a presbyteris ſe reconciliari expoſtulent, & ideo pro coërcenda tam execrabili præſumptione, id a ſancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam canonum antiquorum detur pœnitentia, h. e. ut eum prius, quem ſui pœnitet facti, a communione*

ſuſpen-

ſuſpenſum faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicuti ſacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni reſtituat.

Deinde autem precibus, jejuniis & eleemoſynis, imo & religioſis peregrinationibus, peregrinantium a latronibus defenſioni, aliisque operibus moleſtis aut cum periculo conjunctis tributa virtus eſt peccata expiandi, dictataſque in Dei ipſius foro pœnas avertendi. Auguſt. ad Laur. c. 70. *Per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus.* Et c. 72. *Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cum facimus, adjuvamur ut dimittantur nobis noſtra peccata.* De precibus c. 71. *De quotidianis autem levibusque peccatis, ſine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit.* Hieron. l. 1. Epiſt. 25. *Pro facinoribus meis ad*

§. 31. *Media remiſſionis peccatorum conſequenda ſecundum Veteres.*

ad eam ſolitudinem commigravi, quæ Syriam juncto Barbariæ fine diſterminat. Egregie quidem Dallæus l. 7. de pœnis & ſatisf. diſputat, minime idem cum Romana Eccleſia ſenſiſſe de hoc argumento veteres; etſi eodem ſint uſi ſermone: tamen credere haud poſſum, fuiſſe ab iis doctrinam de juſtitia peccatoris in foro Dei ample ſatis intellectam, populoque Chriſtiano clare ac diſtincte traditam; quin exiſtimo, hac ipſa de cauſſa præcipuum iſtud religionis caput ſequioribus ſeculis & ignorari & corrumpi ſuperſtitione & involvi erroribus facile potuiſſe, quia poſt Apoſtolorum obitum neque frequenter ſatis, neque plene & perſpicue ſit Eccleſiæ propoſitum.

§. 32. *Templariorum moderator Patriarcha Hieroſolymitanus. Patriar-*

Ad declaratum usque huc officium præſtandum votumque ſervandum Templarios obſtrinxit maxime *Patriarcha Hieroſolymitanus*, cui ſeſe ab initio ſubmiſere. Grande eſt Patriarchæ nomen, LXX Interpretibus

bus familiare; atque originis virtute τῆς πατριᾶς ἄρχοντα, tribus ſeu familiæ principem notat. Ita Paulus Abrahamum Hebr. 7: 4. Stephanus duodecim Jacobi filios Act. 7: 8, 9. & Petrus Regem Davidem Act. 2: 29. appellat. Judæi deinde poſt Hieroſolymorum excidium longe lateque diſperſi, ut quandam conjunctionis ſpeciem ſervarent, in Oriente viros principes ſibi præfecere, quos itidem Patriarchas vocarunt, uti *Du Freſne* in Gloſſar. *Beveregius* in Annot. in Can. Concil. Nic. & *Suicerus* in Theſ. Eccl. monent. Sed circa annum 420. Imperatorum legibus Patriarchas habere vetiti ſunt. E Synagoga tranſiit appellatio in Eccleſiam Chriſtianam, & primo quidem ſine diſcrimine Epiſcopi hoc nomine venerunt, quod ex Nazianzeno & Gregorio Nyſſeno Cl. *Suicerus* oſtendit: poſtea vero Patriarchæ ſunt nominati, οἱ ἑκάςης διοικήσεως ἔξαρχοι, docente id ex Macario Ancyrano

charum nomen & origo.

D *Leo-*

Leone Allatio l. 1. c. 8. de Eccl. Occid. & Orient. conſenſu. Nempe ut civitates habuere Epiſcopos, provinciæ Metropolitas vel Archiepiſcopos: ſic diœceſes, quæ plures continebant provincias, paruere ſuis Patriarchis. Originem hujus inſtituti ex Socrate, qui l. 5. c. 4. Patriarchæ nomen primus hoc ſenſu adhibuit, ad Concilium Conſtantinopolitanum, anno 381. contra Macedonium congregatum, Viri docti referunt, quippe quod canone ſecundo jubet, τȣ̀ς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπȣς ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις· μὴ ἐπιέναι, μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας κλ. *Epiſcopi ultra diœceſin in Eccleſias extra ſuos terminos ne accedant, nec Eccleſias confundant &c.* Verum enimvero Concilium Conſtantinopolitanum hoc canone repetiit modo Synodi Nicenæ decretum, atque illa can. 6. τὰ ἀρχεῖα ἔθη κρατεῖν, *antiquos ſervare mores* præcipit. Itaque a prima ſtatim Chriſtianæ Eccleſiæ ætate,

tate, quemadmodum inæqualis erat urbium dignitas, & una caput ſuper alteram efferebat; ſic honoratiorum civitatum, præſertim metropoleωn, Epiſcopi cæteros auctoritate & poteſtate antecelluere; tum dignitates brevi peperere ambitionem, ambitio lites & jurgia, alterque in alterius jura, ſive honeſtô titulo acquiſita, ſive vi & fraude uſurpata, occaſione data aut quæſita invaſit: cui malo ut Nicena Synodus obviam iret, ſextum ſeptimumque canonem fecit; quibus ſuos cuique limites fixit. Atque hactenus placent, quæ ad VI. canonem ſcripſit Balſamon: ὁ παρὼν κανὼν καὶ ὁ ζ΄. διορίζονται τοὺς δ΄. πατριάρχας. δηλαδὴ τὸν Ῥώμης, τὸν Ἀλεξανδρείας, τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τὸν Ἱεροσολύμων, περὶ γὰρ τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἐν ἑτέροις κανόσι διαληφθήσεται, κατὰ τὰ παλαιὰ ἔθη τιμᾶσθαι. *Præſens & ſeptimus canon ſtatuunt quatuor Patriarchas, vid. Romanum, Alexandrinum, Antiochenſem & Hieroſolymita-*

 num

num: de Conſtantinopolitano enim in aliis canonibus tractabitur, ex antiquis moribus honorari. Nihilominus *ignorarunt tum Niceni Patres Exarchi diœceſin, Archiepiſcopi, Patriarchæ, - - - recentiores & ſuperbientes titulos*, verba ſunt Celeb. *Spanhemii* diſſertat. Theol. hiſt. de can. VI. Concil. Nic. p. I. §. 14. Vid. can. Apoſt. XXXIV. τȣ̀ς ἐπισκόπȣς ἑκάςȣ ἔθνȣς εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν ἀυτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι ἀυτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνȣ γνώμης. *Epiſcopos uniuscujusque gentis noſſe oportet eum, qui in iis eſt primus; & exiſtimare eum ut caput; & nihil facere quod ſit magni momenti præter illius ſententiam.* & Synodi Antioch. IX. XIII. qui ſimilier Metropolitani Epiſcopi prærogativam aſſerunt. Erat vero hæc Antiochena Synodus ſecunda, coacta ſub Conſtantio filio M. Conſtantini, quinto poſt mortem patris anno, teſtantibus *Balſamone*

mone & *Zonara*. Concilium Chalcedonenſe, Patriarchas Alexandrinum & Conſtantinopolitanum vocat Ἀρχιεπισκόπους, can. XXVIII. & XXX. Et can. IX. ſupra Metropolitanum ponit τῆς διοικήσεως ἔξαρχον, diœceſis exarchum. Εἰ δὲ καὶ κληρικὸς πρᾶγμα ἔχοι πρὸς τὸν ἴδιον, ἢ καὶ πρὸς ἕτερον ἐπίσκοπον, παρὰ τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας δικαζέσθω· εἰ δὲ πρὸς τὸν τῆς ἐπαρχίας μητροπολίτην ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη, καταλαμβανέτω ἢ ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ δικαζέσθω. *Si clericus autem cum proprio, vel etiam alio Epiſcopo litem habeat, a provinciæ Synodo judicetur. Si autem cum ipſius provinciæ Metropolitano Epiſcopus vel clericus controverſiam habeat, diœceſis Exarchum adeat, vel imperialis urbis Conſtantinopolis thronum & apud eum litiget.*

Quod ad Patriarcharum attinet numerum, ne de Aquileienſi, Gradenſi & Veneto in Occidentali plaga quic- §. 33. *Numerus.*

Iſraël & tace. Hieronymi eſt admonitio l. 2. Epiſt. 15. De Monachis Orientalibus Sulpicius Severus Dial. 1. c. 17. *Præcipua*, ait, *ibi virtus & prima eſt obedientia, neque aliter adveniens ad monaſterium Abbatis ſuſcipitur, quam qui tentatus prius fuerit & probatus; nullum unquam recuſaturus quamlibet arduum ac difficile, indignumque toleratu Abbatis imperium.* Mox ſubjungit mirabile duorum monaſtici ordinis candidatorum exemplum, quorum unus jubente Magiſtro medias ardentis clibani flammas intravit illæſus, alter vero aridæ virgæ ſolo fixæ irriguam per biennium miniſtravit aquam, e Nilo flumine per duo fere millia petitam, propriisque humeris quotidie convectam, donec tandem anno tertio floreret: c. 18. 19. Magne Deus! quantum non gloria tua inter mortales caperet incrementum, ſi ad ſancta, ad juſta, ad ſalutaria præcepta

cepta tua exequenda tam eſſemus alacres tamque prompti & firmi, quam fuere morigeri, in rebus etiam temerariis & duriſſimis faciendis, miſelli homines, quos ſtulta ſuperſtitio iniquis injuſtisque magiſtris mancipaverat? Quin tu, Domine, da quod jubes, & jube quod vis! Lex tua ſapiens & ſalutaris eſt, jugum tuum facile, & onus tuum leve. At ſuo loco memorabitur, cito ſatis Templarios Patriarchæ Hieroſolymitani ſe imperio ſubtraxiſſe.

Officium quod in primis Patriarcha cæterique Epiſcopi ab iis exigebant, erat, ut diximus, terræ ſanctæ ab incurſantibus barbaris vindicatio, & peregrinantium ab inſidiis eorum & latrociniis defenſio, qua de magnifica ſatis verba ſunt *Bernhardi* in Exhort. ad milit. c. 1. *Novum* (ait is) *militiæ genus ortum nuper auditur in terris, & in illa regione, quam olim in cruce præ-* § 28. *Templariorum officium, &c.*

ſens viſitavit Oriens ex alto, ut unde tunc in fortitudine manus ſuæ tenebrarum principes exturbavit, inde & modo ipſorum ſatellites, filios diffidentiæ in manu fortium ſuorum diſſipatos exterminet, faciens etiam nunc redemptionem plebis ſuæ, & rurſum erigens cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Et *Jac. de Vitriaco* hiſt. Hieroſ. c. 65. *Procedente* (ſcribit) *tempore cum omnibus mundi partibus divites & pauperes, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus loca ſancta viſitaturi Hieroſolymam pergerent, latrunculi quidam & raptores, & viarum publicarum prædatores, incautis peregrinis inſidiantes, multos ex ipſis ſpoliabant, quosdam autem trucidabant. Quidam autem amabiles & devoti milites charitate ferventes, mundo renunciantes, & Chriſti ſe ſervitio mancipantes, in manu Patriarchæ Hieroſolymitani profeſſione*

&

& voto ſolemni ſe adſtrinxerunt, ut a prædictis latronibus & viris ſanguinum defenderent peregrinos, & ſtratas publicas cuſtodirent, more Canonicorum Regularium in obedientia & caſtitate, & ſine proprio militaturi ſummo Regi. Reverſi ex oriente voto Monachorum defenderunt monaſteria & ipſorum prædia adverſus potentiorum latrocinia. Petrus Abbas Cluniac. Epiſt. 26. l. 6. *Nobilis vir Dominus Humbertus de Bullojoco nuper a partibus transmarinis veniens ad partes noſtras rediit, & cum immenſa exultatione ab omni illa terra ſuſceptus eſt. - - gaudebant Clerici, gratulabantur Monachi, plaudebant ruſtici: totusque adjacentium nobis Eccleſiarum chorus velut quoddam novum canticum reſonabat. E converſo raptores dolebant, Eccleſiarum pervaſores, monachorum, pauperum, viduarum orphanorum, atque ignobilis nec ſe ſuis*

ſuis viribus defendere prævalentis vulgi deprædatores, imo oppreſſores gemebant. - - - Vice Comitem Matiſcenſem, terræ noſtræ matutinum, veſpertinum, atque nocturnum lupum ita ſubegit, ut jure quantumq; ad hoc pertinet, cum juſto Iob dicere poſſit: conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. hoc & de multis aliis, & cis Ligerim, & ultra Ligerim poſitis, parviſſimo, h. e. ex quo rediit tempore fecit. - - ſed forte dicitis: contra Paganos, non contra Chriſtianos arma ſumſimus. Sed quis magis a vobis vel a veſtris impugnandus eſt, Deum neſciens paganus: aut ipſum verbis confitens, & factis contra eum dimicans Chriſtianus? Hocce tamen præſidium Monachis non ex vi regulæ ſuæ, ſed ſuopte arbitrio Templarii tulerunt.

§. 29. *Officii fructus.* Officium iſtud militibus noſtris Patriarcha & Epiſcopi cæteri, Tyrio

rio teſte; injunxere ad conſequendam *peccatorum remiſſionèm*, quam partim de condonatione pœnarum ab Eccleſia injunctarum, partim de iræ divinæ, crimina prementis, placatione intelligere licet. Matth. Pariſ. p. 67. *prima eorum profeſſio erat, ut in remiſſionem peccatorum ſuorum, vias & itinera ad ſalutem peregrinorum contra latronum inſidias conſervarent.*

Solebat quippe Eccleſia ad coërcendam peccandi licentiam, prolapſis in ſcelera definitas canonibus imponere pœnas, quas qui pertulit, ſatis Eccleſiæ fecit, peccatique eſt veniam nactus. Hinc Auguſt. ad Laurent. c. 65. *Recte conſtituuntur ab his, qui Eccleſiæ præſunt tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata.* Vid. Synodi Ancyranæ cap. 4. & ſeqq. Sic Innocentius I. cap. 7. decret. monet: *De pœnitentibus vero qui ſive ex graviori-* §. 30. *Satisfactio Canonica.*

bus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem. Concilium Toletanum III. can. XI. *Quoniam comperimus per quasdam Hiſpaniarum Eccleſias non ſecundum canones, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a presbyteris ſe reconciliari expoſtulent, & ideo pro coërcenda tam execrabili præſumptione, id a ſancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam canonum antiquorum detur pœnitentia; h. e. ut eum prius, quem ſui pœnitet facti, a communione ſuſpen-*

ſuſpenſum faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicuti ſacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni reſtituat.

Deinde autem precibus, jejuniis & eleemoſynis, imo & religioſis peregrinationibus, peregrinantium a latronibus defenſioni, aliiſque operibus moleſtis aut cum periculo conjunctis tributa virtus eſt peccata expiandi, dictataſque in Dei ipſius foro pœnas avertendi. Auguſt. ad Laur. c. 70. *Per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus.* Et c. 72. *Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cum facimus, adjuvamur ut dimittantur nobis noſtra peccata.* De precibus c. 71. *De quotidianis autem levibuſque peccatis, ſine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit.* Hieron. l. 1. Epiſt. 25. *Pro facinoribus meis ad*

§. 31. *Media remiſſionis peccatorum conſequenda ſecundum Veteres.*

ad eam ſolitudinem commigravi, quæ Syriam juncto Barbariæ fine diſterminat. Egregie quidem Dallæus l. 7. de pœnis & ſatisf. diſputat, minime idem cum Romana Eccleſia ſenſiſſe de hoc argumento veteres; etſi eodem ſint uſi ſermone: tamen credere haud poſſum, fuiſſe ab iis doctrinam de juſtitia peccatoris in foro Dei ample ſatis intellectam, populoque Chriſtiano clare ac diſtincte traditam; quin exiſtimo, hac ipſa de cauſſa præcipuum iſtud religionis caput ſequioribus ſeculis & ignorari & corrumpi ſuperſtitione & involvi erroribus facile potuiſſe, quia poſt Apoſtolorum obitum neque frequenter ſatis, neque plene & perſpicue ſit Eccleſiæ propoſitum.

§. 32. *Templariorum moderator Patriarcha Hieroſolymitanus. Patriar-*

Ad declaratum usque huc officium præſtandum votumque ſervandum Templarios obſtrinxit maxime *Patriarcha Hieroſolymitanus*, cui ſeſe ab initio ſubmiſere. Grande eſt Patriarchæ nomen, LXX Interpretibus

bus familiare, atque originis virtute τῆς πατριᾶς ἄρχοντα, tribus ſeu familiæ principem notat. Ita Paulus Abrahamum Hebr. 7: 4. Stephanus duodecim Jacobi filios Act. 7: 8, 9. & Petrus Regem Davidem Act. 2: 29. appellat. Judæi deinde poſt Hieroſolymorum excidium longe lateque diſperſi, ut quandam conjunctionis ſpeciem ſervarent, in Oriente viros principes ſibi præfecere, quos itidem Patriarchas vocarunt, uti *Du Freſne* in Gloſſar. *Beveregius* in Annot. in Can. Concil. Nic. & *Suicerus* in Theſ. Eccl. monent. Sed circa annum 420. Imperatorum legibus Patriarchas habere vetiti ſunt. E Synagoga tranſiit appellatio in Eccleſiam Chriſtianam, & primo quidem ſine diſcrimine Epiſcopi hoc nomine venerunt, quod ex Nazianzeno & Gregorio Nyſſeno Cl. *Suicerus* oſtendit: poſtea vero Patriarchæ ſunt nominati, οἱ ἑκάςης διοικήσεως ἔξαρχοι, docente id ex Macario Ancyrano

charum nomen & origo.

D *Leo-*

Leone Allatio l. 1. c. 8. de Eccl. Occid. & Orient. conſenſu. Nempe ut civitates habuere Epiſcopos, provinciæ Metropolitas vel Archiepiſcopos: ſic diœceſes, quæ plures continebant provincias, paruere ſuis Patriarchis. Originem hujus inſtituti ex Socrate, qui l. 5. c. 4. Patriarchæ nomen primus hoc ſenſu adhibuit, ad Concilium Conſtantinopolitanum, anno 381. contra Macedonium congregatum, Viri docti referunt, quippe quod canone ſecundo jubet, τȣ̀ς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπȣς ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις. μὴ ἐπιέναι, μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας κλ. *Epiſcopi ultra diœceſin in Eccleſias extra ſuos terminos ne accedant, nec Eccleſias confundant &c.* Verum enimvero Concilium Conſtantinopolitanum hoc canone repetiit modo Synodi Nicenæ decretum, atque illa can. 6. τὰ ἀρχεῖα ἔθη κρατεῖν, *antiquos ſervare mores* præcipit. Itaque a prima ſtatim Chriſtianæ Eccleſiæ ætate,

tate, quemadmodum inæqualis erat urbium dignitas, & una caput ſuper alteram efferebat; ſic honoratiorum civitatum, præſertim metropoleων, Epiſcopi cæteros auctoritate & poteſtate antecelluere; tum dignitates brevi peperere ambitionem, ambitio lites & jurgia, alterque in alterius jura, ſive honeſtô titulo acquiſita, ſive vi & fraude uſurpata, occaſione data aut quæſita invaſit: cui malo ut Nicena Synodus obviam iret, ſextum ſeptimumque canonem fecit; quibus ſuos cuique limites fixit. Atque hactenus placent, quæ ad VI. canonem ſcripſit Balſamon: ὁ παρὼν κανὼν καὶ ὁ ζ΄. διορίζονται τȣ̀ς δ΄. πατριάρχας. δηλαδὴ τὸν Ῥώμης, τὸν Ἀλεξανδρείας, τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τὸν Ἱεροσολύμων, περὶ γὰρ τȣ͂ Κωνςαντινȣπόλεως ἐν ἑτέροις κανόσι διαληΦθήσεται, κατὰ τὰ παλαιὰ ἔθη τιμᾶσθαι. *Præſens & ſeptimus canon ſtatuunt quatuor Patriarchas, vid. Romanum, Alexandrinum, Antiochenſem & Hieroſolymitanum*

D 2

num: de Conſtantinopolitano enim in aliis canonibus tractabitur, ex antiquis moribus honorari. Nihilominus *ignorarunt tum Niceni Patres Exarchi diœceſin, Archiepiſcopi, Patriarchæ, - - - recentiores & ſuperbientes titulos*, verba ſunt Celeb. *Spanhemii* diſſertat. Theol. hiſt. de can. VI. Concil. Nic. p. I. §. 14. Vid. can. Apoſt. XXXIV. *τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης.* *Epiſcopos uniuscujusque gentis noſſe oportet eum, qui in iis eſt primus; & exiſtimare eum ut caput; & nihil facere quod ſit magni momenti præter illius ſententiam.* & Synodi Antioch. IX. XIII. qui ſimilier Metropolitani Epiſcopi prærogativam aſſerunt. Erat vero hæc Antiochena Synodus ſecunda, coacta ſub Conſtantio filio M. Conſtantini, quinto poſt mortem patris anno, teſtantibus *Balſamone*

mone & *Zonara*. Concilium Chalcedonenſe, Patriarchas Alexandrinum & Conſtantinopolitanum vocat Ἀρχιεπισκόπους, can. XXVIII. & XXX. Et can. IX. ſupra Metropolitanum ponit τῆς διοικήσεως ἔξαρχον, diœceſis exarchum. Εἰ δὲ καὶ κληρικὸς πρᾶγμα ἔχοι πρὸς τὸν ἴδιον, ἢ καὶ πρὸς ἕτερον ἐπίσκοπον, παρὰ τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας δικαζέσθω· εἰ δὲ πρὸς τὸν τῆς ἐπαρχίας μητροπολίτην ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη, καταλαμβανέτω ἢ ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, καὶ ἐπ' αὐτῷ δικαζέσθω. *Si clericus autem cum proprio, vel etiam alio Epiſcopo litem habeat, a provinciæ Synodo judicetur. Si autem cum ipſius provinciæ Metropolitano Epiſcopus vel clericus controverſiam habeat, diœceſis Exarchum adeat, vel imperialis urbis Conſtantinopolis thronum & apud eum litiget.*

Quod ad Patriarcharum attinet numerum, ne de Aquileienſi, Gradenſi & Veneto in Occidentali plaga quic- §. 33. *Numerus.*

quicquam dicam, *Socrates* hiſt. Eccl. l. 5. c. 8. diverſos memorat Orientis Epiſcopos, quos Conſtantinopolitana Synodus Patriarchæ dignitate auxit: atque de Timotheo Æluro, Epheſiorum Epiſcopo, teſtatur *Evagrius* l. 2. c. 6. ἀποδίδωσι δὲ τῇ Ἐφεσίων καὶ τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον, ὅπερ αὐτὴν ἀφεῖλεν ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος. *Reddidit Eccleſiæ Epheſinæ jus Patriarchatus, quod Concilium Chalcedonenſe ei ademerat.* Verum Synodus Trullana, Juſtiniano Rinotmeto imperante habita, canone XXXVI. nonniſi quinque, & iſto quidem ordine, Patriarchas recenſet: Romanum, Conſtantinopolitanum Romano æqualem, Alexandrinum, Antiochenum & Hieroſolymitanum.

§. 34. *Epiſcopi Hieroſolymit. quando facti Patriarchæ.* Hieroſolymitanam Eccleſiam diu rectam ab Epiſcopis fuiſſe, abunde conſtat ex *Euſebio*, qui hiſt. Eccleſ. l. 4. c. 5. ſeriem illorum recenſet. Et ipſi quidem Hieroſolymitani Epiſcopi paruere Metropolitano, Cæ-

Cæſarienſi Epiſcopo, ſic tamen ut poſt eum inter omnes Palæſtinæ Epiſcopos primum locum, ſed ſine poteſtate, tenerent, de quo diſertus eſt Nicenus can. VII. ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε, καὶ παράδοσις ἀρχεῖα, ὥςε τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολεθίαν τῆς τιμῆς, τῇ μητροπόλει σωζομένε τῦ οἰκείε ἀξιώματος. *Quoniam obtinuit conſuetudo & antiqua traditio, ut qui eſt in Ælia Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam*, ſive ut rectius vertit l. c. Celeb. Spanhemius, *ſecundum honorem, metropoli propria dignitate ſervata.* At quum ſucceſſu temporis frequentes à Chriſtianis ad Hieroſolymam peregrinationes ſuſciperentur, hujus loci Epiſcopus in majori quam Cæſarienſis honore cœpit eſſe, caput auſus ſupra Metropolitanum extollere, debitamque Cæſarienſi Epiſcopo in Palæſtinam rapere poteſtatem, quod anno CCCCXXXI. in Synodo Epheſina fecit *Juvenalis*, a Cyrillo Alexan-

drino tum repreſſus, ſed poſt viginti demum annos in Chalcedonenſi perfecit. Nam ea ſeſſione v. Antiocheno duas Phœnicias cum Arabia, Hieroſolymitano autem Epiſcopo tres Palæſtinas, eoque & Cæſaream primæ Palæſtinæ urbem ſubjecit. unde Juvenalis loco tertio, atque Thalasſio Cæſareenſis Epiſcopus quinto acta Synodi ſubſcripſit. Quomodo ſecutis temporibus Patriarcha Hieroſolymitanus non paucas Eccleſias ab Antiochena ſede avulſerit, legere eſt apud *Wilh. Tyrium* litis ſpectatorem, l. 14. c. 11. & ſeqq. Conf. *Marin. Sanut. Torſell.* part. 7, c. 2. *in civitate ſancta Jeruſalem, poſt Jacobum pertica fullonis percuſſum usque ad tempora Juſtiniani Auguſti, ſimplices præfuere Epiſcopi, altioris dignitatis prærogativa nulla fulgentes. procurante enim eodem Auguſto facta eſt patriarchalis ſedes, tam Antiochenæ Eccleſiæ quam Alexandrinæ ſuffraga-*

neis

neis quibusdam ſubtractis, *iſtique conceſſis*. Vid. & *Jacob. de Vitr.* hiſt. Hieroſ. c. 55. 56.

Atque hæc de Inſtituto Templariorum ſub Patriarchæ Hieroſolymitani imperio dixiſſe ſufficiat: nunc quando illud cœperit, videndum eſt. *Wilh. Tyrius*, proximus iis temporibus ſcriptor, & poſt eum *Jac. de Vitriaco* ac *Matth. Paris* referunt ad annum Æ.C.MCXVIII. quo Balduinus II. Balduino I. in regno Hieroſolymitano, Calo Johannes Alexio in Imperio Conſtantinopolitano, Gelaſius II. Paſchali in ſede Romana, & Arnulfo Gormundus natione Francus ex Ambianenſi provincia, Genebrardo in Chron. Guarimundus dictus, in Hieroſolymitana ſucceſſit: Germaniam Henrico V. Galliam Ludovico VI. & Angliam Henrico I. regentibus. Hinc emendatur magnum Chronicon Belgicum, in quo legitur, *ordinem incepiſſe ſub anno Domini* MCXIX. *ſub Balduino Rege*

§. 35. *Tempus inſtituti Templariorum.*

Jeruſalem hujus nominis primo. Geminum quoque errorem erravit Polyd. Vergil. l. 7. c. 5. de Invent. rer. ſcribens: *Templarii milites circiter annum ſalutis* MCXXVIII. *Pontifice Gelaſio II. ut quidam ſcribunt, Hieroſolymis eſſe cœperunt.* Etenim dicto anno haud demum cœpit ipſorum ordo, ſed confirmatus a Synodo Trecenſi fuit, uti jamjam audiemus: neque Romanam tenuit ſedem Gelaſius II. decem ante annos fato functus, ſed Honorius II. Calixti II. poſt obitum Gelaſii Romanæ Eccleſiæ præfecti ſucceſſor. Quare *Antoninus Florentinus* apud Hoſpinianum & Wolfium in lect. memor. originem Templariorum ad annum MCXXIII. referat, dicere non habeo.

§. 36. *Locus.* Locum, in quo primum egere, nomen indicat. Nam *quia juxta templum Domini in palatio regio manſionem habebant, fratres militiæ templi dicuntur*, verba ſunt Ty-

Tyrii. Scil. iis *quoniam neque Eccleſia erat, neque certum habebant domicilium, Rex in palatio, quod ſecus templum Domini ad auſtralem habet partem, eis ad tempus conceſſit habitaculum. Canonici vero templi Domini plateam, quam circa prædictum habebant palatium, ad opus officinarum certis quibusdam conditionibus conceſſerunt*, l. 12. c. 7. Eadem refert Jacob. de Vitriaco hiſt. Hieroſ. c. 65. & Matth. Paris Tyrii fere verba exſcripſit. *Volaterr.* l. 21. narrat, *a Rege & Templi Abbate impetraviſſe, ut in parte ædium ipſius templi eis habitare liceret*, quod ex eo retinuit Polyd. Virgil. l. c. confirmatque Bernhardus Exhort. ad mil. c. 5. *Eſt vero* (ait) *templum Hieroſolymis in quo pariter habitant, antiquo & famoſiſſimo illi Salomonis impar quidem ſtructura, ſed non inferius gloria. - - Ornatur tamen hujus quoque facies templi, ſed armis, non gemmis.*

mis: & pro antiquis coronis aureis, circumpendentibus clypeis paries operitur: pro candelabris, thuribulis atque arceolis, domus undique frenis, ſellis ac lanceis communitur. Plane his omnibus liquido demonſtrantibus, eodem pro domo Dei milites fervere zelo, quo ipſe quondam militum Dux vehementiſſime inflammatus, armata illa ſanctisſima manu non tamen ferro, ſed flagello, quod fecerat de reſticulis, introivit in templum, negociantes expulit, nummulariorum effudit æs, & cathedras vendentium columbas evertit, indigniſſimum judicans, orationis domum hujuscemodi forenſibus infeſtari. Tali proinde ſui regis permotus exemplo, devotus exercitus multo ſane indignius, longeque intolerabilius arbitrans, ſancta pollui ab infidelibus quam a mercatoribus infeſtari, in domo ſancta cum equis & armis commoratur, tam ab ipſa quam a cæteris

cæteris ſacris omni infidelitatis ſpurca & Tyrannica rabie propulſata: ipſi in ea die noctuque tam honeſtis quam utilibus officiis occupantur. Hæc Bernhardus, quæ allegavi integra, ut quo ornatu templum inſtruxerint, ſimul appareret. Cæterum a templo Hieroſolymitano, quod incolebant Templarii, alias quoque in Gallia & Anglia illorum ædes *Templi* habuiſſe nomen, ex hiſtoriis conſtat. Ita Henricus III. Anglorum Rex quum Ludovicum IX. ex Oriente reducem anno 1254. inviſeret, Pariſiis in Templo eſt hoſpitatus. Matth. Paris p. 899. *Elegit dominus Rex Angliæ pro hoſpitio vetus templum, quia numeroſus ejus erat comitatus. Et in eodem veteri templo ædificia ſunt cuidam numeroſo exercitui ſufficientia ac competentia. quia cum Templarii omnes cismontani, temporibus ac terminis ſuis ad generale eorum capitulum conveniunt, hoſpitia*

ſpitia ibidem inveniunt competentia: oportet enim quod in una curia quieſcant; quia de nocte ſua contractant in capitulo negotia. Idem p. 973. *Similiter Londini apud novum templum theſaurus maximus, de cujus quantitate audientes mirabantur, quem repoſuerant Pictavenſes memorati, licet contradicentes reniterentur Hoſpitalarii; captus eſt.*

§. 37. *Poſt Hieroſolymas deſtructas condita Ælia.*

Antequam autem hinc pergamus, oportet reparatæ cum templo urbis Hieroſolymorum hiſtoriam paulo altius repetere, quandoquidem Titum Imperatorem Romanum ſubvertiſſe ea funditus & incendio vaſtaſſe, e Romanarum Judaicarumque rerum monumentis conſtat. Diſerte enim *Joſephus* l. 7. de bell. Jud. c. 1. Κελεύει Καῖσαρ ἤδη τήν τε πόλιν ἅπασαν, καὶ τὸν νεὼν κατασκάπτειν. *Jubet Cæſar omnem omnino urbem, ipſumque templum funditus evertere*: & poſtquam a ruina tres excepit

pit turres cum muri urbem cingentis parte, ſubjungit: τόν τε ἄλλον ἅπαντα τῆς πόλεως περίβολον οὕτως ἐξωμάλισαν οἱ κατασκάπτοντες, ὡς μηδὲ πώποτ' οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι· *reliquum autem totum civitatis ambitum ita complanavere diruentes, ut qui ad eam accederent, unquam habitatam fuiſſe vix crederent.* Equidem poſt iſtam Hieroſolymorum κατάσκαψιν nonnulla domicilia eo in loco, quo antea urbs ſteterat, cum parvulo templo & Synagogis aliquot a Chriſtianis & Judæis extructa fuiſſe, citatus a Beveregio *Epiphanius* in l. de menſ. & pond. docet: ſed ea quoque demolitus eſt Ælius Adrianus, quum Judæos in Palæſtina duce Barchocheba tumultuantes anno Chriſti 132. perdomaret, & novam in vicinia condidit urbem, quam de nomine ſuo Æliam vocavit, Judeos tamen omni regione Hieroſolymitana lege excluſos incolere non permiſit, teſte *Euſeb.* hiſt.

hiſt. Eccleſ. l. 4. c. 6. & *Paulo Diac.* hiſt. miſc. l. 10. c. 9.

§. 38. *In loco vicino.* Obſervandum hic eſt, Æliam non iisdem, quibus Hieroſolyma, ſtetiſſe veſtigiis, ſed quædam loca urbis ſanctæ ambitu olim comprehenſa, uti fuit mons Sion, extra Æliam jacuiſſe: e contrario alia mœnibus Hieroſolymorum quondam excluſa, tunc ab Adriano incluſa fuiſſe. Abulpharajus dynaſt. VII. p. 76. *Hoc anno prodiit Hieroſolymis quidam, nomine Bencochab (filius ſtellæ) qui Judæos ſeduxit, prætendens ſe a cœlo inſtar ſtellæ deſcendiſſe, quo ipſos a ſervitute Romanorum liberaret, quem eorum multi ſecuti ſunt; cujus rei nuncio ad Adrianum delato, miſit ille copias, quæ ipſum interfecerunt, & expugnatis Hieroſolymis Judæos perdiderunt, urbemque Hieroſolymitanam penitus diruerunt,* NB. *prope eam extructa urbe, quam Æliam Adriani appellarunt, in qua alienigenas col-*

collocarunt, juſſitque Adrianus præcidi aures Judæorum ſuperſtitibus, atque hanc iis legem indixit, ne quis vel e longinquo Hieroſolyma intueretur. Adde quæ habet *Wilh. Tyr.* diſertiora l. 8. c. 2. *cumque prius in clivo ſita eſſet præcipiti, ita ut in Orientem partim, partim in Auſtrum tota devexa reſpiceret, in latere tam montis Syon, quam Moriæ conſtituta, ut ſolum templum & præſidium, cui nomen Antonia erat, in ſui haberet faſtigio, & parte ſuperiore; ab eodem Imperatore in montis verticem tota tranſlata eſt, ita ut Dominicæ paſſionis & reſurrectionis locus, qui prius extra urbem fuerat, urbe reædificata intra murorum ambitum clauderetur.*

Quod Abulpharajus aliique auctores teſtantur, Adrianum Judæos Æliæ prohibuiſſe aditu, non modo de iis, qui religione erant Judæi, intelligendum eſt, ſed ad integram ex- §. 39. *Sed nullis e Judaica natione oriundis habitari permiſſa.*

tendere oportet nationem, ipſosque ad Chriſtianos Judaïca ſtirpe progenitos. Neque enim verum eſt, quod Oroſius l. 7. c. 13. & qui illum exſcripſit Paul. Diac. hiſt. miſc. l. 10. c. 9. habet, Adrianum *Chriſtianis tantum civitatem permiſiſſe*, ſiquidem Euſebio teſte l. c. Imperator peregrinis eam nationibus implevit, e quibus tamen nonnullos Chriſtiana coluiſſe ſacra haud infitiamur. Id confirmat Sulpic. Sever. hiſt. Ecclef. l. 2. c. 31. *Quia Chriſtiani ex Judæis potiſſimum putabantur, namque tum Hieroſolymæ nonniſi ex circumciſione habebat Eccleſia ſacerdotem, militum cohortem cuſtodias in perpetuum agitare juſſit* [Adrianus] *quæ Judæos omnes Hieroſolymæ aditu arceret. Quod quidem Chriſtianæ fidei proficiebat, quia tum pene omnes Chriſtum Deum ſub legis obſervatione credebant. Nimirum id Domino ordinante diſpoſitum, ut legis ſervitus a libertate fidei atque Eccleſiæ tolleretur.* Quin

Quin Eccleſiæ in Ælia ex aliis gentibus collectæ, quæ Marcum habuit primum Epiſcopum, Adrianus cum incolis a Doctrina Chriſti alienis, quibuscunque potuerunt modis, ægre fecere. Idem enim Sulpicius l. c. *Adrianus*, ait, *exiſtimans ſe Chriſtianam fidem loci injuria peremturum, & in templo ac loco Dominicæ paſſionis Dæmonum ſimulacra conſtituit.* Et Eutychius Patriarcha Alexandrinus, qui poſt medium vixit ſeculum IX. in Annal. part. I. p. 355. *Impleta autem ſunt Hieroſolyma* (Æliam putat) *Græcis, qui cum Chriſtianos fimetum iſtud ſub quo erat ſepulcrum, & cranium adire atque ibi preces fundere viderent, eos hoc facere prohibentes, ſuper fimeto templum Veneri dicatum ſtruxerunt.* Eadem refert ante Eutychium Sozomenus. l. 2. c. I. §. 40. *Et Eccleſia ex aliis gentibus collecta iniqua.*

Quum autem lapſu temporis in Palæſtinam, & præſertim ad ſepul- §. 41. *Tandem Hieroſolyma dicta.*

 crum

crum Domini, creberrimæ inſtituerentur peregrinationes, Æliæ Epiſcopi caput hac occaſione reliquos ſupra Palæſtinæ Epiſcopos efferentes, audire *Hieroſolymitani*, & peregrinantes ipſi *Hieroſolymas*; non Æliam viſitaſſe credi voluere: quo factum eſt, ut ſtructa ab Adriano urbs modo Hieroſolyma, modo Ælia nominaretur, quod poſterius nomen ſuo adhuc tempore in uſu fuiſſe, Eutychius l. c. teſtatur. Atque iſta quidem eo noſſe juvat, ut ſi qua veterum prophetarum oracula Judaïcæ genti ad Regem Davidem ultimo tempore convertendæ ſpem faciant reparandæ Hieroſolymæ, nondum ea eſſe impleta intelligamus. nam Jeruſalem ἔσαι πατȣμένη ὑπὸ τῶν ἐθνῶν, ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν, *calcata erit a gentibus, donec impleantur tempora gentium*, Luc. 21:24. Vid. eruditiſſime de Hieroſolymorum everſione & reparatione diſſerentem *Beveregium* in Annot. in Nicen. Syn. can VI. & VII. Quod

Quod ad extructum in Ælia templum attinet, diverſa ejus diverſo tempore fata fuerunt. Nam anno Chriſti 326. *Helena mater principis Conſtantini, quæ Auguſta cum filio conregnabat, cum Hieroſolymam agnoſcere concupiſceret, reperta ibi idola ac templa protrivit: mox uſa regni viribus baſilicam in loco Dominicæ paſſionis & reſurrectionis & aſcenſionis conſtituit*, Sulpic. Sever. l. 2. c. 33. At anno 363. Julianus *imperii ſui memoriam magnitudine operum geſtiens propagare, ambitioſum quondam apud Hieroſolymam templum, quod poſt multa & interneciva certamina, obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito, ægre eſt expugnatum, inſtaurare ſumtibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Cum itaque rei fortiter idem inſtaret Alypius, juvaretque provinciæ* §. 42. *Fatum templorum Æliæ conditorum ab Helena, Juliano.*

 rector,

rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, fecere locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum: hocque modo elemento deſtinatius repellente ceſſavit incœptum, Ammian. Marcell. l. 23. c. 1. Vid. Socrat. l. 3. c. 17.

§. 43. *Eudocia.* Feliciore ſucceſſu anno 438. Eudocia Theodoſii junioris uxor Hieroſolymis, quo ſe jubente marito ſolvendi voti gratia contulerat, monaſteria extruxit, mœnia reparavit & pulcriora fecit, atque extra urbem templum memoriæ Stephani Martyris primi dicatum ſtatuit, uti legere eſt apud *Evagr.* hiſt. Eccl. l. 1. c 21. 22. & *Socrat.* l. 7. c. 47. Sed Coſroës II. Perſarum Rex anno Æ. C. 615. imperante Hieraclio evertit iterum vaſtavitque, *& urbe ſancta effracta hoſtiliter in ea triginta ſex civium millia gladio perimens, crucem Dominicam, & loci ejusdem Epiſcopum Zachariam* *cum*

Digitized by Google

cum reſiduo populi tam urbis quam regionis univerſæ ſecum tranſtulit in Perſidem, Wilh. Tyr. l. 1. c. 2. Paul. Diac. l. 11. c. 5. Tamen anno 629. Heraclius de Perſide victor reverſus *crucem Domini inde reportavit cum gloria, & per Modeſtum, quem Hieroſolymis ordinaverat Epiſcopum, Eccleſiarum ruinas, quas Coſroës dejecerat, in priorem ſtatum datis ſumptibus neceſſariis reformari præcepit*. Paul. Diaconus memorat Zachariam reſtitutum, l. 18. c. 53. Conf. Amoin. de geſt. Franc. l. 4. c. 21.

Paulo poſt, anno ſcil. Chriſti 645. & Conſtantis Imperatoris ſecundo, Omar, tertius a Muhammede, & primus Credentium dictus Imperator, Hieroſolymas occupavit, modicisque incolis, quos fecit tributarios, & Epiſcopum habere, & dejectum templum reparare, & religionem Chriſtianam libere conſervare permiſit, in Muhammedanorum ve- §. 44. *Omaro.*

ro uſum, eo ipſo loco, quo famigeratiſſimum ſteterat Judæorum templum, aliud condidit. Quum enim noluiſſet Chriſtiana in æde Hieroſolymis fundere preces, ne hoc argumento ſibi illam digreſſo ipſo vendicârent Turci, a Sophronio fœderis jure locum petiit, in quo templum extrueret. Tum *Patriarcha: Ego, inquit, locum Imperatori fidelium concedam, in quo templum extruat (cui extruendo Græcorum Imperatores impares fuere, videl. Petram in qua Deus Jacobum allocutus eſt, quam appellavit Jacobus portam cœli, Iſraëlitæ autem Sanctum Sanctorum. Eſtque ipſa in terræ medio fuitque Sacrarium Iſraëlitis, qui magna ipſum in veneratione habent, atque ubicunque fuerint inter orandum facies ſuas ad ipſum converſas) hac conditione ut mihi Syngrapham ſcribas, ne intra Hieroſolyma extruatur præter illud adoratorium. Scripſit ergo Omar Eb-*

nol

nol Chetabi hac de re Syngrapham, quam ipſi tradidit. Siquidem cum Romani Chriſtianam religionem amplexi eſſent, ædificaretque Helena, Conſtantini mater, Hieroſolymis Eccleſias; fuerunt Petræ locus ipſique adjacentia vaſtata, ideoque relicta. Petræ autem pulverem injecerant, adeo ut ſuper ipſam grande eſſet ſterquilinium, ideoque ipſam neglectui habuerunt Romani, neque ipſi eum, quem ſolebant Iſraëlitæ, honorem detulerunt, neque ſupra ipſam Eccleſiam ſtruxerunt, eo quod dictum ſit a Domino noſtro Chriſto in Evangelio ſancto: Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta: nec non: non relinquetur hic lapis ſuper lapidem; qui non diruatur ac vaſtetur. Sophronius erga Patriarcha Omarum Ebnol Chetabi manu prehenſum ad ſterquilinium deduxit. Omar autem veſtis ſuæ ora prehenſa ipſam pulvere implevit, quem in vallem gehennæ

hennæ projecit. Mohammedani ergo conſpicientes, Omarum Ebnol Chetabi gremio ſuo pulverem geſtaſſe, ipſi ſepoſita mora omnes gremiis etiam ſuis, veſtibus, clypeis, corbibus atque urceis absportarunt, donec mundato ac purgato loco appareret petra, Eutych. Annal. part. 2. p. 287, 288. Mox Omarus, *ſumptibus qui ſufficere poſſent ad impenſam deſignatis, & convocatis artificibus ſubjecta pro votis materia tam ex marmorum diverſitate, quam ex lignorum differentia multiplici, templum ædificari præcepit. Quo poſtea infra modicum tempus juxta conceptum mentis feliciter conſummato, quale hodie eſſe Hieroſolymis dignoſcitur, multis & infinitis ditavit poſſeſſionibus, unde ſuppeterent facultates, ad habenda perpetua ejusdem ſarta tecta, & vetera renovanda, & continenda luminaria per manum eorum, qui in eodem templo deſervirent,* Wilh. Tyr. l. 1. c. 2. Sa-

Digitized by Google

Saracenicis igitur ſacris fuit dedicatum per 54. annos ſupra quadringentos, donec a Tancredo Normanno, poſt Antiochiæ principe in Hieroſolymorum expugnatione decem mille Turcarum cæde occupatum anno 1099. in Chriſtianorum veniret poteſtatem, porroque *templum Domini* vocaretur. *Wilh. Tyr.* l. 8. c. 20. Non tamen in eo, ſed in vicino *Salomonis templo* ſuas habuere Templarii ſedes, quod Jacob. de Vitriaco in hiſt. Hier. c. 62. diſertis verbis teſtatur. *Eſt præterea* (inquit) *Hieroſolymis templum aliud immenſæ quantitatis & amplitudinis, a quo fratres militiæ Templi Templarii nominantur, quod templum Salomonis nuncupatur, forſitan ad diſtinctionem alterius, quod ſpecialiter templum Domini appellatur.* Namque iſtud Salomonis templum fuit ipſa illa domus regia, cujus partem incolendam Templariis Regem ad tempus conceſſiſſe ſuperius §. 36.

§. 45. *Templarii a quo templo dicti?*

audi-

audivimus. *Ab auſtro vero domum habet regiam, quæ vulgari appellatione Templum Salomonis dicitur*, Tyr. l. 8. c. 3. Marin. Sanut. Torſellus refert, in duas fuiſſe ædes ſacras diviſum: *Juxta Templum Domini ajunt eſſe templum Salomonis, in quo ſunt duo templa: illic nullus Chriſtianorum intrare permittitur, ne juxta imprecationem Salomonis exaudiatur in oratione ſua*, Secret. fidel. cruc. l. 3. part. 14. c. 9. Scripſit autem Venetus ille auctor poſt principium ſeculi XIV. quum Palæſtinam Turci iterum tenerent. Martinus Polonus in Chron. videtur porticum templi appellaſſe: *Dicti ſunt milites templi, quia in porticu templi ſedem ſui ordinis ſtatuerunt.*

§. 46. *Victum & amictum unde primo acceperint?* Porro uti domicilium, ſic & victum amictumque a Regis, Patriarchæ & aliorum Eccleſiæ prælatorum liberalitate Templarii primum accepere. *Dominus autem Rex*, Tyrii verba ſunt l. 12. c. 7. *cum ſuis proce-*

Digitized by Google

ceribus, Dominus quoque Patriarcha cum Prælatis Eccleſiarum, de propriis dominicalibus certa eis pro victu & amictu beneficia, quædam ad tempus, quædam in perpetuum contulerunt. Et Jacob. de Vitriaco: *Rex autem*, ait c. 65. *& ejus milites prædictis viris nobilibus, qui omnia pro Chriſto reliquerant, compatientes, una cum domino Patriarcha de rebus propriis eos ſuſtentabant, quædam beneficia & poſſeſſiones eisdem poſtea pro remedio animarum ſuarum conferentes.* Dominicalia, quæ Tyrius memorat, vel dominica & dominia, uti alias vocantur, ſunt prædia ad inſtruendam cibis menſam Domino aſſignata: atque cum portionem de proventu, tum nonnullam agrorum partem Templariis Rex & Patriarcha Hieroſolymitanus dedere. Reverſi ex Aſia in Europam muneribus honorabantur. Chronic. Saxon. a Gibſono editum ad ann. MCXXVIII. *Eodem*

Eodem anno venit ab Hieroſolymis Hugo de templo ad Regem in Normanniam; atque Rex eum ſuſcepit cum magno honore, amplaque munera ei dedit auri ac argenti poſtea item miſit eum in Angliam, ubi fuit receptus ab omnibus bonis, omnesque in illum dona contulerunt. quod & factum in Scotia, ac per eum etiam miſerunt Hieroſolymas magnam vim auri & argenti.

§. 47. *Confirmatio ordinis Templariorum.* Subſtitit ordo novus intra primæ originis anguſtias per novem annos, tandem anno CIↃCXXIIX. auctoritate Synodi Trecenſis in Gallia confirmatus. *Cum annis novem*, ſcribit Jacob. de Vitriaco l. c. *in hac profeſſione & ſancta paupertate communem vitam ducentes, concorditer & quaſi unius moris in domo permanſiſſent, anno gratiæ milleſimo centeſimo vigeſimo octavo; de mandato Domini Papæ Honorii, & Domini Stephani Hieroſolymitani Patriarchæ, inſtituta eſt eis regula,*

gula, & habitus albus absque aliqua cruce aſſignatus. Hoc autem factum eſt in Concilio generali apud Trecas civitatem Campaniæ celebrato, ſub Domino Albanenſe Epiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato, præſentibus Remenſi & Senonenſi Archiepiſcopis, & Ciſtercienſis ordinis Abbatibus, cum multis aliis Eccleſiarum prælatis.

Auctor magni Rerum Belgicarum Chronici prodidit, Bernhardum Abbatem Claræuallenſem conſtituiſſe regulam Templariis præſcriptam. *Datus eſt eis poſt albus habitus ſine cruce, & ſimul regula, quam ſanctus Bernhardus conſcripſit, rogatu illorum militum, qui primi fuerunt, & Ludovici Regis Franciæ, & Principum ac Baronum de regno Franciæ, factumque eſt hoc in Concilio generali apud Trecas.* Idem putarunt Philippus Bergomenſis in Chronico & laudatus ſæpe Polyd. Vergilius. Ex actis Synodi Trecenſis §. 48. & regula.

Digitized by Google

ſis tomo x. Edit. Labb. conſtat, Bernardum quidem fuiſſe auctorem regulæ Templariorum, ſed uſum penna cujusdam *Johannis Michaëlenſis*. Regula hæc quanquam ſit prolixior, integra tamen a nobis ſubjicitur, quia eſt inſigne membrum hiſtoriæ Templariorum.

REGULA

Pauperum commilitonum Chriſti templique Salomonici.

PROLOGUS.

Omnibus in primis ſermo noſter dirigitur, quicunque proprias voluntates ſequi contemnunt, & ſummo ac vero regi militare animi puritate cupiunt, ut obedientiæ armaturam præclaram aſſumere, intentiſſima cura implendo præoptent, & perſeverando impleant. Hortamur itaque, qui usque nunc militiam

tiam ſæcularem, in qua Chriſtus non fuit cauſa, ſed ſolo humano favore amplexati eſtis, quatenus horum unitati, quos Dominus ex maſſa perditionis elegit, & ad defenſionem ſanctæ Eccleſiæ gratuita pietate compoſuit, vos ſociendos perenniter feſtinetis. Ante omnia autem, quicunque es, o Chriſti miles! tam ſanctam converſationem eligens, te circa profeſſionem tuam oportet puram adhibere diligentiam, ac firmam perſeverantiam; quæ a Deo tam digna, ſancta, & ſublimis eſſe dignoſcitur, ut ſi pure & perſeveranter obſervetur, inter militantes, qui pro Chriſto animas ſuas dederunt, ſortem obtinere mereberis. In ipſa namque refloruit jam & reluxit ordo militaris, qui deſpecto juſtitiæ zelo, non pauperes aut eccleſias defenſare, quod ſuum erat, ſed rapere, ſpoliare, interficere contendebant. Bene igitur nobiſcum agitur, quibus dominus & ſalvator noſter Jeſus Chri-

F ſtus

Digitized by Google

ſtus amicos ſuos a civitate ſancta in continuum Franciæ & Burgundiæ direxit, qui pro noſtra ſalute veræque fidei propagatione non ceſſant animas ſuas hoſtiam Deo placentem offerre. Nos ergo cum omni gratulatione ac fraterna pietate, precibusque magiſtri Hugonis, in quo prædicta militia ſumpſit exordium cum Spiritu Sancto intimante, ex diverſis Ultramontanæ provinciæ manſionibus in ſolennitate ſancti Hilarii anno MCXXVIII. ab incarnato Dei filio, ab inchoatione prædictæ militiæ IX. ad Trecas, Deo duce, in unum convenientes, modum & obſervantiam equeſtris ordinis per ſingula capitula ex ore ipſius magiſtri Hugonis audire meruimus, ac juxta notitiam exiguitatis noſtræ ſcientiæ, quod nobis videbatur abſurdum, omneque quod in præſenti concilio nequivit eſſe nobis memorabiliter relatum ac computatum, non levitate, ſed conſulte, providen-

dentiæ & diſcretioni venerabilis patris noſtri Honorii, ac inclyti patriarchæ Hieroſolymitani Stephani, fertilitate ac neceſſitate non ignari orientalis * religionis, nec non pauperum commilitonum Chriſti, conſilio communis capituli unanimiter commendavimus. Sane autem prorſus licet noſtri dictaminis auctoritatem permaximus numerus religioſorum patrum, qui in illo concilio divina admonitione convenerunt, commendat: non debemus ſilenter tranſire, quibus videntibus, & veras ſententias proferentibus, ego *Joannes Michaëlenſis* præſentis paginæ, juſſu concilii ac venerabilis † abbatis Claravallenſis, cui creditum ac debitum hoc erat, humimilis ſcriba eſſe divina gratia meruì.

* *Regionis.*

† *Sanctum Bernardum intellige.*

Nomina Patrum reſidentium in Concilio Trecenſi.

Primus quidem reſedit Matthæus Albanenſis epiſcopus, Dei gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ legatus, deinde Rainaldus archiepiſcopus Remenſis, tertius Henricus archiepiſcopus Senonenſis, de hinc coëpiſcopi eorum Rankedus Carnotenſis epiſcopus, Goſlenus Sueſſionum epiſcopus, epiſcopus Pariſienſis, epiſcopus Trecenſis, præſul Aurelianenſis, epiſcopus Autiſiodorenſis, epiſcopus Meldenſis, epiſcopus Catalaunenſis, epiſcopus Laudunenſis, epiſcopus Belvacenſis, abbas Vezeliacenſis, qui non multo poſt factus Lugdunenſis archiepiſcopus, ac ſanctæ eccleſiæ Romanæ legatus, abbas Ciſtercienſis, abbas Trium Fontium, abbas ſancti Dionyſii de Remis, abbas ſancti Stephani de Divione, abbas

Abbas * Moleſ. , . . . ſupra nominatus abbas Bernardus Claræuallenſis non defuit, cujus ſententiam præſcripti libera voce collaudabant. Fuerunt autem & magiſter Albericus Remenſis, & magiſter Fulgerius, ac complures alii, quos longum eſſet enumerare. Cæterum vero de non literatis idoneum nobis videtur ut teſtes amatores veritatis adducantur in medium. Comes Theobaudus, comesque Nivernenſis, ac Andreas de Bandinento, intentiſſima cura quod erat optimum ſcrutantes, quod eis videbatur abſurdum temperantes, in concilio ſic aſſiſtebant. Ipſe vero magiſter militiæ, *Hugo* nomine, revera non defuit, & quoſdam de fratribus ſuis ſecum habuit, verbigratia, fratrem *Godofridum*, fratrem *Rorallum*, fratrem *Gaufridum Biſol*, fratrem *Paganum de monte Deſiderii*, *Archembaudum de ſancto Amano*. Iſte vero Magiſter Hugo cum ſuis diſci-

* *Molismenſis.*

Digitized by Google

diſcipulis modum & obſervantiam exiguæ inchoationis ſui militaris ordinis, qui ab illo qui dicit, Ego principium, qui & loquor vobis, ſumpſit exordium, juxta memoriæ ſuæ notitiam ſupra nominatis patribus intimavit. Placuit itaque Concilio, ut conſilium ibi lima & conſideratione divinarum ſcripturarum diligenter examinatum, tamen cum providentia Papæ Romanorum ac Patriarchæ Hieroſolymitarum, nec non etiam aſſenſu capituli pauperum commilitonum Templi, quod eſt in Jeruſalem, ſcripto commendaretur, ne oblivione traderetur, & inenodabiliter ſervaretur: ut recto curſu ad ſuum conditorem, cujus dulcedo tam mel ſuperat, ut ei comparatum velut abſynthium ſit amariſſimum, pervenire digne mereantur, præſtante cui militant, & militare queant per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Joan. 8.

Incipit Regula Pauperum commilitonum Sanctæ civitatis.

I. *Qua-*

I.

Qualiter Divinum officium audiant.

Vos quidem propriis voluntatibus abrenuntiantes, atque alii pro animarum ſalute vobiscum ad terminum cum equis & armis ſummo regi militantes, matutinas, & omne ſervitium integrum, ſecundum canonicam inſtitutionem, ac regularium doctorum ſanctæ civitatis conſuetudinem, pio ac puro affectu audire univerſaliter ſtudeatis. Idcirco vobis, venerabiles fratres, maxime debetur, quia præſentis vitæ luce deſpecta, contemtoque veſtrorum corporum cruciatu, ſævientem mundum pro Dei amore vileſcere pereniter promiſiſtis: divino cibo refecti & firmati, poſt myſterii Divini conſummationem nullus paveſcat ad pugnam, ſed paratus ſit ad coronam.

Digitized by Google

II.

Quot orationes Dominicas, ſi Dei ſervitium audire nequiverint, dicant.

Cæterum ſi aliquis frater negotio orientalis Chriſtianitatis forte remotus (quod ſæpius eveniſſe non dubitamus) pro tali abſentia Dei ſervitium non audierit: pro matutinis, tredecim orationes Dominicas; ac pro ſingulis horis, ſeptem; ſed pro veſperis, novem dicere collaudamus, ac libera voce unanimiter affirmamus. Iſti etenim in ſalutifero labore ita directi, non poſſunt accurrere hora competenti ad Divinum officium. Sed, ſi fieri poteſt, horæ conſtitutæ non prætereant ante inſtitutum debitum.

III.

Quid agendum pro fratribus defunctis.

Quando vero quilibet fratrum rema-

manentium, morti, quæ nulli parcit, impendit quod eſt impoſſibile auferri: capellanis ac clericis vobiscum ad terminum caritative ſummo ſacerdoti ſervientibus, creditum officium & Miſſam ſolenniter pro ejus anima Chriſto animi puritate jubemus offerre. Fratres autem ibi adſtantes, & in orationibus pro fratris defuncti ſalute pernoctantes, centum orationes Dominicas uſque ad diem ſeptimum pro fratre defuncto perſolvant: ab illo die quo eis obitus fratris denunciatus fuerit, uſque ad prædictum diem, centenarius numerus perfectionis integritatem cum fraterna obſervatione habeat. Adhuc nempe Divina ac miſericordi caritate deprecamur, atque paſtorali auctoritate jubemus, ut quotidie, ſicuti fratri in vicibus dabatur & debetur, ita quod eſt neceſſarium ſuſtentationi hujus vitæ, in cibo & potu tantum, cuidam pauperi donec ad quadrageſimum diem

 im-

pendatur. Omnes enim alias oblationes, quas in morte fratrum, & in Paſchali ſolennitate, cæteriſque ſolennitatibus, Domino, pauperum commilitonum Chriſti ſpontanea paupertas indiſcrete reddere conſueverat, omnino prohibemus.

IV.

Capellani victum & veſtitum tantum habeant.

Alias vero oblationes, & omnia eleemoſynarum genera, quoquo modo fiant, Capellanis, vel aliis ad tempus manentibus, unitati communis capituli reddere pervigili cura præcipimus. Servitores itaque eccleſiæ victum & amictum ſecundum auctoritatem tantum habeant, & nihil amplius habere præſumant, niſi magiſtri ſponte caritative dederunt.

V. *De*

Digitized by Google

V.

De militibus defunctis qui ſunt ad terminum.

Sunt namque milites in domo Dei, templique Salomonis, ad terminum miſericorditer nobiscum degentes, Unde ineffabili miſeratione vos rogamus, deprecamur, & ad ultimum obnixe jubemus, ut ſi interim tremenda poteſtas ad ultimum diem aliquem perduxerit, divino amore, ac fraterna pietate, ſeptem dies ſuſtentationis, pro anima ejus, quidam pauper habeat.

VI.

Ut nullus frater remanens oblationem faciat.

Decrevimus, ut ſuperius dictum eſt, quod nullus fratrum remanentium aliam oblationem agere præſumat. ſed die noctuque mundo corde in

Digitized by Google

in ſua profeſſione maneat, ut ſapientiſſimo prophetarum in hoc ſe æquipollere valeat: Calicem ſalutaris accipiam, & in morte mea mortem Domini imitabor: quia ſicut Chriſtus pro me animam ſuam poſuit, ita & ego pro fratribus animam ponere ſum paratus. Ecce competentem oblationem: ecce hoſtiam viventem Deoque placentem!

VII.

De immoderata ſtatione.

Quod autem auribus noſtris veriſſimus teſtis inſonuit, videlicet immoderata ſtatione & ſine menſura ſtando Divinum officium vos audire: ita fieri non præcipimus, imo vituperamus: ſed finito Pſalmo, venite exultemus Domino, cum invitatorio & hymno, omnes ſedere tam fortes quam debiles, propter ſcandalum evitandum, nos jubemus. Vobis vero reſidentibus, unoquoque

que pſalmo finito, in recitatione Gloria Patri, de ſenibus veſtris ad altaria ſupplicando, ob reverentiam ſanctæ Trinitatis ibi nominatæ, ſurgere, & debilibus inclinare demonſtramus. Sic etiam in recitatione Evangelii, & ad Te Deum laudamus, & per totas Laudes, donec finito Benedicamus Domino, ſtare adſcribimus; & eandem regulam in Matutinis ſanctæ Mariæ teneri jubemus.

VIII.

De refectione conventus.

In uno quidem palatio, ſed melius dicitur refectorio, communiter vos cibum accipere credimus, ubi, quando aliquid neceſſarium fuerit, pro ſignorum ignorantia, leniter ac privatim quærere oportet. Sic omni tempore quæ vobis neceſſaria ſunt cum omni humilitate & ſubjectione reverentiæ petite ad menſam, cum Apo-

Digitized by Google

2 Theſſ. 3. Apoſtolus dicat: Panem tuum cum
Pſalm. 38. ſilentio manduca. Et Pſalmiſta vos animare debet, dicens: Poſui ori meo cuſtodiam, id eſt apud me deliberavi, ut non delinquerem in lingua: cuſtodiebam os meum ne male loquerer.

IX.

De Lectione.

In prandio & cæna ſemper ſit ſancta lectio recitata. Si dominum diligimus, ſalutifera ejus verba atque præcepta intentiſſima aure deſiderare debemus. Lector autem lectionum vobis indicat ſilentium.

X.

De carnis refectione.

In hebdomada namque, niſi natalis dies Domini, vel Paſcha, vel feſtum ſanctæ Mariæ, aut omnium Sanctorum evenerit, vobis ter refe

ctio

Digitized by Google

ctio carnis ſufficiat: quia aſſueta carnis comeſtio intelligitur honoroſa corruptio corporum. Si vero in die Martis tale jejunium evenerit, ut eſus carnium retrahatur, in craſtino abundanter vobis impendatur. Die autem Dominico omnibus militibus remanentibus, nec non Capellanis, duo fercula in honorem ſanctæ reſurrectionis bonum & idonæum indubitanter videtur. Alii autem, videlicet armigeri & clientes, uno contenti cum gratiarum actione permaneant.

XI.
Qualiter manducare milites debeant.

Duos & duos manducare generaliter oportet, ut ſolerter unus de altero provideat, ne aſperitas vitæ, vel furtiva abſtinentia in omni prandio intermiſceatur. Hoc autem juſte indicamus, ut unuſquiſque miles, aut frater æqualem & æquipollentem

Digitized by Google

tem vini menſuram per ſe ſolus habeat.

XII.

Ut aliis diebus duo aut tria leguminum fercula ſufficiant.

Aliis nam diebus, videlicet ſecunda & quarta feria; nec non & ſabbato, duo aut tria leguminum vel aliorum ciborum fercula, aut, ut ita dicam, cocta pulmentaria, omnibus ſufficere credimus; & ita teneri jubemus, ut forte qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur.

XIII.

Quo cibo ſexta feria reficere oportet.

Sexta autem feria cibum quadrageſimalem ob reverentiam paſſionis omni congregationi, remota infirmorum imbecillitate, ſemel ſufficere a feſto omnium ſanctorum uſque in

in paſcha, niſi natalis dies Domini vel feſtum ſanctæ Mariæ aut apoſtolorum evenerit, collaudamus. Alio vero tempore, niſi generale jejunium evenerit, bis reficiantur.

XIV.

Poſt refectionem ſemper gratias referant.

Poſt prandium vero & cœnam ſemper in eccleſia, ſi prope eſt, vel, ſi ita non eſt, in eodem loco, ſummo procuratori noſtro, qui eſt Chriſtus, gratias, ut decet, cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus: famulis aut pauperibus fragmenta, panibus tamen integris reſervatis, diſtribuere fraterna caritate debent & jubentur.

XV.

Ut decimus panis ſemper eleemoſynario detur.

Licet paupertatis præmium, quod

eſt regnum cœlorum, pauperibus procul dubio debeatur: vobis tamen, quos Chriſtiana fides de illis indubitanter fatetur, decimum totius panis quotidie, eleemoſynario veſtro dare jubemus.

XVI.

Ut collatio ſit in arbitrio magiſtri.

Cum vero ſol Orientalem regionem deſerit, & ad * Ibernam deſcendit, audito ſigno, ut eſt ejusdem regionis conſuetudo, omnes ad completas oportet incedere vos, ac prius generalem collationem ſumere peroptamus. Hanc autem collationem in diſpoſitione & arbitrio magiſtri ponimus, ut quando voluerit, de aqua; & quando jubebit miſericorditer, ex vino temperato competenter recipiatur. Verum hoc non ad nimiam ſatietatem oportet & in luxu fieri, ſed parcius; quia apoſtare etiam ſapientes videmus.

* *Forte Iberiam.*

XVII.

XVII.

Ut finitis completis ſilentium teneatur.

Finitis itaque completis ad ſtratum ire oportet. Fratribus igitur a completoriis exeuntibus nulla ſit denuo licentia loqui in publico, niſi neceſſitate cogente; armigero autem ſuo quæ dicturus eſt, leniter dicat. Eſt vero forſitan ut in tali intervallo vobis de completorio exeuntibus, maxima neceſſitate cogente, de militari negotio, aut de ſtatu domus noſtræ, quia dies ad hoc vobis ſufficere non creditur, cum quadam fratrum parte ipſum magiſtrum, vel illum, cui domus dominium poſt magiſtrum eſt debitum, oporteat loqui. Hoc autem ita fieri jubemus: & ideo, quia ſcriptum eſt: *In multiloquio non effugies peccatum.* Et alibi: *Mors & vita in manibus linguæ.* In illo colloquio ſcurrilitates & ver-

Prov. 10.
Prov. 18.

verba otioſa ac riſum moventia omnino prohibemus: & vobis ad lectulum euntibus, dominicam orationem, ſi aliquis quid ſtultum eſt locutus, cum humilitate & puritatis devotione dicere jubemus.

XVIII.

Ut fatigati ad matutinas non ſurgant.

Fatigatos nempe milites, non ita, ut vobis eſt manifeſtum, ſurgere ad matutinas collaudamus: ſed aſſenſu magiſtri, vel illius, cui creditum fuerit a magiſtro, eos quieſcere, & tredecim orationes conſtitutas ſic cantare, ut mens ipſorum voci con-
Pſalm. 48. cordet, juxta illud Prophetæ: *Pſal-*
Pſalm. 137. *lite Domino ſapienter:* & illud: *In conſpectu angelorum, pſallam tibi*: vos unanimes collaudamus. Hoc autem in arbitrio magiſtri ſemper conſiſtere debet.

XIX.

XIX.

Ut communio victus inter fratres ſervetur.

Legitur in divina pagina: *Dividebatur ſingulis, prout cuique opus erat.* Act. 2. Ideo non dicimus, ut ſit perſonarum acceptio, ſed infirmitatum debet eſſe conſideratio. Ubi autem qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contriſtetur: qui vero indiget humiliter ſe pro infirmitate. non extollatur pro miſericordia, & ita omnia membra erunt in pace. Hoc autem prohibemus, ut nulli immoderatam abſtinentiam amplecti liceat; ſed communem vitam inſtanter teneant.

XX.

De qualitate & modo veſtimenti.

Veſtimenta autem unius coloris ſemper eſſe jubemus, verbi gratia,

 alba,

alba, vel nigra, vel, ut ita dicam, burella. Omnibus autem militibus profeſſis in hieme & in æſtate, ſi fieri poteſt, alba veſtimenta concedimus, ut qui tenebroſam vitam poſtpoſuerint, per liquidam & albam ſuo conditori ſe reconciliari agnoſcant. Quid albedo, niſi integra caſtitas? Caſtitas, ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Niſi enim unusquisque miles caſtus perſeveraverit, ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit; teſtante Apoſtolo Paulo: *Pacem ſectamini cum omnibus & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.* Sed quia hujusmodi indumentum, arrogantiæ ac ſuperfluitatis æſtimatione carere debet: talia habere omnibus jubemus, ut ſolus leniter per ſe veſtire & exuere & calceare ac diſcalceare valeat. Procurator hujus miniſterii pervigili cura hoc vitare præſumat, ne nimis longa aut nimis curta, ſed menſurata ipſis u-

Hebr. 12.

ten-

utentibus, ſecundum uniuscujusque quantitatem, ſuis fratribus tribuat. Accipientes itaque nova, vetera ſemper reddant in præſenti, reponenda in camera, vel ubi frater, cujus eſt miniſterium, decreverit, propter armigeros & clientes, & quandoque pro pauperibus.

XXI.

Quod famuli veſtimenta alba, hoc eſt pallia, non habent.

Hoc nempe quod erat in domo Dei ac ſuorum militum Templi, ſine diſcretione ac conſilio communi capituli, obnixe contradicimus, & funditus quaſi quoddam vitium peculiare amputare præcipimus. Habebant enim olim famuli & armigeri alba veſtimenta, unde veniebant damna importabilia. Surrexerunt namque in ultramontanis partibus quidam pſeudofratres, conjugati, & alii, dicentes ſe eſſe de Templo,

 cum

Digitized by Google

cum ſint de mundo. Hi nempe tantas contumelias totque damna militari ordini acquiſierunt, & clientes remanentes plurima ſcandala oriri inde ſuperbiendo fecerunt. Habeant igitur aſſidue nigra: ſed ſi talia non poſſint invenire, habeant qualem invenire poſſunt in illa provincia qua degunt, aut quod vilius unius coloris comparari poteſt, videlicet burella.

XXII.

Quot milites remanentes tantum alba habeant.

Nulli ergo conceſſum eſt candidas chlamydes deferre, aut alba pallia habere, niſi nominatis militibus Chriſti.

XXIII.

Ut pellibus agnorum utantur.

Decrevimus communi conſilio ut nul-

nullus frater remanens, pelles perenniter, aut pelliciam, vel aliquid tale, quod ad uſum corporis pertineat, etiamque coopertorium, niſi agnorum vel arietum, habeat.

XXIV.

Ut vetuſta armigeris dividantur.

Procurator vel dator pannorum omni obſervantia veteres ſemper armigeris & clientibus, & quandoque pauperibus, fideliter æqualiterque erogare intendat.

XXV.

Cupiens optima, deteriora habeat.

Si aliquis frater remanens, ex debito aut ex motu ſuperbiæ, pulchra vel optima habere voluerit, ex tali præſumptione procul dubio viliſſima merebitur.

Digitized by Google

XXVI.

Ut quantitas & qualitas veſtimentorum ſervetur.

Quantitatem ſecundum corporum magnitudinem largitatemque veſtimentorum obſervare oportet: dator pannorum ſit in hoc curioſus.

XXVII.

Ut dator pannorum in primis æqualitatem ſervet.

Longitudinem, ut ſuperius dictum eſt, cum æquali menſura, ne vel ſuſurronum * comminatorum aliquid oculus notare præſumat, procurator fraterno intuitu conſideret: & in omnibus ſupradictis, Dei retributionem humiliter cogitet.

* *Forte criminatorum.*

XXVIII.

De ſuperfluitate capillorum.

Omnes fratres remanentes principa-

paliter ita tonſos habere capillos oportet, ut regulariter ante & retro, & ordinate, conſiderare poſſint; & in barba, & in grennionibus eadem regula indeclinabiliter obſervetur, ne ſuperfluitas aut facetiæ vitium denotetur.

XXIX.

De roſtris & laqueis.

De roſtris & laqueis manifeſtum eſt eſſe gentilitium. Et cum abominabile hoc omnibus agnoſcatur, prohibemus & contradicimus, ut aliquis ea non habeat, imo prorſus careat. Aliis autem ad tempus famulantibus, roſtra & laquea, & capillorum ſuperfluitatem, & veſtium immoderatam longitudinem, habere non permittimus, ſed omnino contradicimus. Servientibus enim ſummo conditori munditia interius exteriusque valde neceſſaria, eo ipſo atteſtante, qui ait: *Eſtote mundi, quia ego mundus ſum.*

XXX.

De numero equorum & armigerorum.

Unicuique veſtrorum militum tres equos licet habere, quia Domus Dei templique Salomonis eximia paupertas amplius non permittit impræſentiarum augere, niſi cum magiſtri licentia.

XXXI.

Nullus armigerum gratis ſervientem feriat.

Solum autem armigerum ſingulis militibus eadem cauſa concedimus. Sed ſi gratis & caritative ille armiger cuiquam militi fuerit, non licet ei eum verberare, nec etiam qualibet culpa percutere.

XXXII.

Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.

Omnibus militibus ſervire Jeſu Chriſto

Digitized by Google

Chriſto animi puritate in eadem domo ad terminum cupientibus, equos in tali negotio quotidiano idoneos, & arma, & quidquid ei neceſſarium fuerit, emere fideliter jubemus. Deinde vero, ex utraque parte æqualitate ſervata, bonum & utile appreciari equos judicavimus. Habeatur itaque precium in ſcripto, ne tradatur oblivioni: & quidquid militi, vel ejus equis, vel armigero, erit neceſſarium adjunctis & ferris equorum ſecundum facultatem domus, ex eadem domo fraterna caritate impendatur. Si vero interim equos ſuos aliquo eventu in hoc ſervitio amiſerit, magiſter, prout facultas domus hoc exigit, alios adminiſtrabit. Adveniente autem termino repatriandi, medietatem precii ipſe miles Divino amore concedat, alteram ex communi fratrum, ſi ei placet, recipiat.

Digitized by Google

XXXIII.

Quod nullus juxta propriam voluntatem incedat.

Convenit his nempe militibus, qui nihil ſibi Chriſto carius exiſtimant, propter ſervitium, ſecundum quod profeſſi, & propter gloriam ſummæ beatitudinis, vel metum gehennæ, ut obedientiam indeſinenter magiſtro teneant. Tenenda eſt itaque, ut mox, ubi aliquid imperatum a magiſtro fuerit, vel ab illo cui magiſter mandatum dederit, ſine mora, ac ſi Divinitus imperetur, moram pati neſciant in faciendo. De
Pſalm. 17. talibus enim ipſa veritas dicit: *Ab auditu auris obedivit mihi.*

XXXIV.

Si licet ire per villam ſine juſſu Magiſtri.

Ergo hoſpitales milites propriam voluntatem relinquentes, & alios ad ter-

Digitized by Google

terminum ſervientes, deprecamur, & firmiter eis jubemus, ut ſine magiſtri licentia, vel cui creditum hoc fuerit, in villam ire non præſumant, præterquam noctu ad ſepulcrum, & ad ſtationes quæ intra muros ſanctæ civitatis continentur.

XXXV.

Si licet eum ambulare ſolum.

Hi vero ita ambulantes, non ſine cuſtode, id eſt milite aut fratre remanente, nec in die, nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namque poſtquam hoſpitati fuerint, nullus miles vel armiger aut alius per atria aliorum militum cauſa videndi, vel cum aliquo loquendi, ſine juſſu, ut dictum eſt ſuperius, incedat. Itaque conſilio affirmamus, ut in tali domo ordinata a Deo, nullus ſecundum proprietatem militet aut quieſcat, ſed ſecundum magiſtri imperium totus ſe incumbat ut illam

Digitized by Google

illam Domini ſententiam imitari valeat, qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus, qui me miſit.*

Joan. 5.

XXXVI.

Ut nullus nominatim quod ei neceſſarium erit, quærat.

Hanc proprie conſuetudinem inter cætera adſcribere jubemus, & cum omni conſideratione ob quærendi vitium teneri præcipimus. Nullus igitur frater remanens, aſſignanter & nominatim equum & equitaturam vel arma quærere debet. Quomodo ergo? Si vero ejus infirmitas, aut equorum ſuorum debilitas, vel armorum ſuorum gravitas talis eſſe agnoſcitur, ut ſic incedere ſit damnum commune: veniat magiſtro, vel cui eſt debitum miniſterium poſt magiſtrum, & cauſam vera fide & pura ei demonſtret: inde namque in diſpoſitione magiſtri, vel poſt

Digitized by Google

poſt eum procuratoris, res ſe habeat.

XXXVII.
De frenis & calcaribus.

Nolumus ut omnino aurum vel argentum, quæ ſunt divitiæ peculiares, in frenis & pectoralibus, nec calcaribus, vel in ſtrevis, unquam appareant; nec alicui fratri remanenti emere liceat. Si vero caritative talia vetera inſtrumenta data fuerint, aurum vel argentum taliter coloretur, ne ſplendidus color vel decor cæteris arrogantia videatur. Si nova data fuerint, magiſter de talibus, quod voluerit, faciat.

XXXVIII.
Tegimen in haſtis & clypeis non habeatur.

Tegimen autem in clypeis & haſtis, & furellis in lanceis, non habeatur

beatur, quia hoc non proficuum, imo damnum nobis intelligitur.

XXXIX.

De licentia magiſtri.

Licet magiſtro cuiquam dare equos, vel arma, vel quamlibet rem cuilibet dare.

XL.

De mala & ſacco.

Sacculus & mala cum firmatura non conceduntur: ſic exponentur, ne habeant absque magiſtri licentia, vel cui creduntur domus poſt eum negotia. In hoc præſenti capitulo procuratores & per diverſas provincias degentes non continentur, nec ipſe magiſter intelligitur.

XLI.

De Legatione literarum.

Nullatenus cuiquam fratrum liceat

ceat a parentibus ſuis, neque a quoquam hominum, nec ſibi invicem, accipere vel dare, ſine juſſu magiſtri vel procuratoris. Poſtquam licentiam frater habuerit; in præſentia magiſtri, ſi ei placet, legantur. Si vero & a parentibus ei quicquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud; niſi prius indicatum fuerit magiſtro. In hoc autem capitulo magiſter & domus procuratores non continentur.

XLII.

De fabulatione propriarum culparum.

Cum omne verbum otioſum generare agnoſcatur peccatum, quid ipſi jactantes de propriis culpis ante diſtrictum judicem dicturi ſunt? Oſtendit certe propheta, ſi a bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri, quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati

Digitized by Google

debet ceſſari. Vetamus igitur & audacter contradicimus, ne aliquis frater remanens, ut melius dicam, ſtultitias, quas in ſæculo in militari negotio tam enormiter egit, & carnis delectationes miſerrimarum mulierum, cum fratre ſuo, vel alio aliquo vel de alio commemorare audeat: & ſi forte referentem aliquem talia audierit, obmuteſcere faciat, vel quantocius poterit cito pede obedientiæ inde diſcedat, & olei venditori aurem cordis non præbeat.

XLIII.

De quæſtu & acceptione.

Verum enimvero, ſi aliqua res ſine quæſtu cuilibet fratri data gratis fuerit, deferat magiſtro vel dapifero: ſi vero aliter ſuus amicus vel parens dare niſi ad opus ſuum noluerit, hoc prorſus non recipiat, donec licentiam a magiſtro ſuo habeat. At cui res data fuerit, non pi-

pigeat illi, ſi alteri datur: imo pro certo ſciat, quia, ſi inde iraſcitur, contra Deum agit. In hac autem prædicta regula miniſtratores non continentur, quibus ſpecialiter hoc miniſterium debetur, & conceditur de mala & ſacco.

XLIV.

De manducariis equorum.

Utilis res eſt cunctis, hoc præceptum a nobis conſtitutum ut indeclinabiliter a modo teneatur. Nullus autem facere præſumat manducaria linea vel lanea, idcirco principaliter facta: nec habeat ulla, excepto profinello.

XLV.

Ut cambiare vel quærere nullus audeat.

Nunc aliquid reſtat, ut nullus præſumat cambiare ſua, frater cum

fratre, ſine licentia magiſtri; & aliquid quærere, niſi frater fratri, & ſit res parva, vilis, non magna.

XLVI.

Ut nullus avem cum ave capiat, nec cum capiente incedat.

Quod nullus hactenus avem cum ave accipere audeat, nos communiter judicamus. Non convenit enim religioni ſic cum mundanis delectationibus inhærere, ſed domini præcepta libenter audire, orationibus frequenter incumbere, mala ſua cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cum homine quidem talia operante cum accipitre, vel alia ave, nullus frater remanens hac principali cauſa ire præſumat.

XLVII.

Ut nullus feram arcu vel baliſta percutiat.

Cum omni religione ire decet, ſim-

ſimpliciter & ſine riſu, humiliter, & non multa verba, ſed rationabilia loqui, & non ſic clamoſa in voce. Specialiter injungimus, & præcipimus omni fratri profeſſo, ne in boſco cum arcu aut baliſta jaculari audeat: nec cum illo qui hoc fecerit ideo pergat, niſi gratia eum cuſtodiendi a perfido gentili: nec cum cane ſit auſus clamare vel garrulare; nec equum ſuum, cupiditate accipiendi feram pungat.

XLVIII.

Ut leo ſemper feriatur.

Nam eſt certum, quod vobis ſpecialiter creditum eſt & debitum, pro fratribus veſtris animas ponere, atque incredulos, qui ſemper virginis Filio minitantur, de terra delere. De leone enim hoc legimus, quia *ipſe circuit, quærens quem devoret;* 1 Petr. 5. *& manus ejus contra omnes,* Gen. 16. *omniumque manus contra eum.*

 XLIX.

Digitized by Google

XLIX.

De omni re ſuper vos quæſita judicium audite.

Novimus quidem perſecutores ſanctæ eccleſiæ innumerabiles, & hos, qui contentionem non amant, inceſſanter crudeliusque inquietare feſtinant. In hoc igitur concilii ſententia ſerena conſideratione pendeat, ut ſi aliquis in partibus orientalis regionis, aut in quocunque alio loco, ſuper vos rem aliquam quæſierit, vobis per fideles & veri amatores judices audire judicium præcipimus; & quod juſtum fuerit, indeclinabiliter vobis facere præcipimus.

L.

Ut hæc regula in omnibus teneatur.

Hæc eadem regula, in omnibus re-

bus vobis immerito ablatis, perenniter jubemus ut teneatur.

LI.

Quod licet omnibus militibus profeſſis terram & homines habere.

Divina, ut credimus, providentia a vobis in ſanctis locis ſumpſit exordium hoc genus novum religionis, ut videlicet religioni militiam admiſceretis, & ſic religio per militiam armata procedat, hoſtem ſine culpa feriat. Jure igitur judicamus, cum milites Templi dicamini, vos ipſos, ob inſigne meritum & ſpeciale probitatis, domum, terram, & homines habere, & agricolas poſſidere, & juſte eos regere: & inſtitutum debitum vobis ſpecialiter debetur impendi.

LII.

Ut de male habentibus cura pervigil habeatur.

Male habentibus fratribus ſupra

omnia adhibenda eſt cura pervigil, ut quaſi Chriſto eis ſerviatur: ut illud Evangelicum, *Infirmus fui & viſitaſti me*, memoriter teneatur. Hi etenim diligenter, ac patienter portandi ſunt, quia de talibus ſuperna retributio indubitanter acquiritur.

LIII.

Ut infirmis neceſſaria ſemper dentur.

Procuratores vero infirmantium omni obſervantia atque pervigili cura præcipimus, ut quæcunque ſuſtentationi diverſarum infirmitatum ſunt neceſſaria, fideliter ac diligenter juxta domus facultatem eis adminiſtrent, verbi gratia, carnem & volatilia, & cætera, donec ſanitati reſtituantur.

LIV.

Ut alter alterum ad iram non provocet.

Præcavendum nempe non modicum

Digitized by Google

cum eſt, ne aliquis aliquem commovere ad iram præſumat: quia proquinquitatis & Divinæ fraternitatis tam pauperes quam potentes, ſumma clementia æqualiter adſtrinxit.

LV.

Quomodo fratres conjugati habeantur.

Fratres autem conjugatos hoc modo habere vobis permittimus: ut, ſi fraternitatis veſtræ beneficium & participationem petunt, uterque ſuæ ſubſtantiæ portionem, & quidquid amplius acquiſierint, unitati communis capituli poſt mortem concedant, & interim honeſtam vitam exerceant, & bonum agere fratribus ſtudeant, ſed veſte candida & chlamyde alba non incedant. Si vero maritus ante obierit, partem ſuam fratribus relinquat. Et conjux de altera, vitæ ſuſtentamentum habeat. Hoc enim injuſtum conſideramus, ut

ut cum fratribus Deo caſtitatem promittentibus fratres hujusmodi in una eademque domo maneant.

LVI.

Ut amplius ſorores non habeantur.

Sorores quidem amplius periculoſum eſt coadunare: quia antiquus hoſtis fæmineo conſortio complures expulit a recto tramite paradiſi. Itaque, fratres cariſſimi, ut integritatis flos inter vos ſemper appareat, hac conſuetudine a modo uti non licet.

LVII.

Ut fratres Templi cum excommunicatis non participent.

Hoc, fratres, valde cavendum, atque timendum eſt, ne aliquis ex Chriſti militibus homini excommunicato nominatim ac publice, aliquo modo ſe jungere, aut res ſuas accipere præſumat, ne anathema mara-

Digitized by Google

ranatha ſimiliter fiat. Si vero interdictus tantum fuerit, cum eo participationem habere, & rem ſuam caritative accipere, non immerito licebit.

LVIII.

Qualiter milites ſæculares recipiantur.

Si quis miles ex maſſa perditionis vel alter ſæcularis, ſæculo volens renunciare, veſtram communionem & vitam velit eligere, non ei ſtatim aſſentiantur, ſed juxta illud Pauli, *probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt*, & ſic ei ingreſſus concedatur. Legatur igitur regula in ejus præſentia: & ſi ipſe præceptis expoſitæ regulæ diligenter obtemperaverit, tunc ſi magiſtro & fratribus eum recipere placuerit, convocatis fratribus deſiderium & petitionem ſuam cunctis animi puritate patefaciat. Deinde vero terminus probationis in conſideratione & providentia magiſtri

giſtri; ſecundum honeſtatem vitæ petentis, omnino pendeat.

LIX.

Ut omnes fratres ad ſecretum conſilium non vocentur.

Non ſemper omnes fratres ad conſilium convocare jubemus: ſed quos idoneos & conſilio providos magiſter cognoverit. Cum autem de majoribus tractare voluerit, ut eſt dare communem terram, vel de ipſo ordine diſceptare, aut fratrem recipere: tunc omnem congregationem, ſi magiſtro placet convocare eſt competens; auditoque communis capituli conſilio, quod melius & utilius magiſter conſideraverit, illud agatur.

LX.

Quod cum ſilentio orare debeant.

Orare fratres, prout animi & corporis affectus poſtulaverit, ſtando

do vel ſedendo, tamen ſumma cum reverentia, ſimpliciter, & non clamoſe, ut unus alium non conturbet, communi conſilio jubemus.

LXI.

Ut fidem ſervientium accipiant.

Agnovimus nempe complures ex diverſis provinciis, tam clientes, quam armigeros, pro animarum ſalute, animo ferventi ad terminum cupientes in Domo noſtra mancipari. Utile eſt autem, ut fidem eorum accipiatis, ne forte veteranus hoſtis in Dei ſervitio aliquid furtive vel indecenter eis intimet, vel a bono propoſito repente exterminet.

LXII.

Ut pueri, quamdiu ſunt parvi, non accipiantur inter fratres Templi.

Quamvis regula ſanctorum patrum

pueros

Digitized by Google

pueros in congregatione permittat habere, nos de talibus non collaudamus vos unquam onerare. Qui vero filium ſuum, vel propinquum in militari religione perenniter dare voluerit: uſque ad annos, quibus viriliter armata manu poſſit inimicos Chriſti de terra ſancta delere, eum nutriat: dehinc ſecundum regulam in medio fratrum pater vel parentes eum ſtatuant, & ſuam petitionem cunctis patefaciant. Melius eſt enim in pueritia non vovere, quam poſteaquam vir factus fuerit, enormiter retrahere.

LXIII.

Ut ſenes ſemper venerentur.

Senes autem pia conſideratione ſecundum virium imbecillitatem ſupportare ac diligenter honorare oportet: & nullatenus in his quæ corporis ſunt neceſſaria diſtricte teneantur ſalva tamen auctoritate regulæ.

LXIV.

Digitized by Google

LXIV.

De fratribus qui per diverſas provincias proficiſcuntur.

Fratres vero qui per diverſas provincias diriguntur, regulam, in quantum vires expetunt, ſervare in cibo & potu & cæteris ſtudeant & irreprehenſibiliter vivant, ut ab his, qui foris ſunt, bonum teſtimonium habeant: religionis propoſitum nec verbo, nec actu polluant, ſed maxime omnibus, quibus ſe conjunxerint, ſapientiæ & bonorum operum exemplum & condimentum præbeant. Apud quem hoſpitari decreverint, fama optima ſit decoratus: &, ſi fieri poteſt, domus hoſpitis in illa nocte non careat lumine, ne tenebroſus hoſtis occiſionem, quod abſit, inferat. Ubi autem milites non excommunicatos congregari audierint, illuc pergere, non conſiderantes tam temporale utilitatem, quam æter-

Digitized by Google

æternam animarum illorum ſalutem, dicimus. Illis autem fratribus in Ultramarinis partibus ſpe ſubvectionis ita directis, hac conventione, eos qui militari ordini ſe jungere perenniter voluerint recipere collaudamus: ut in præſentia epiſcopi illius provinciæ uterque conveniat, & voluntatem petentis præſul audiat. Audita itaque petitione, mittat eum frater ad magiſtrum, & ad fratres qui ſunt in templo, quod eſt in Jeruſalem: &, ſi vita ejus eſt honeſta talique conſortio digna, miſericorditer ſuſcipiatur, ſi magiſtro & fratribus bonum videtur. Si vero interim obierit, pro labore & fatigatione, quaſi uni ex fratribus, totum beneficium & fraternitas pauperum & commilitonum Chriſti ei impendatur.

LXV.

Ut victus æqualiter omnibus diſtribuatur.

Illud quoque congrue & rationabiliter

biliter manu tenendum cenſemus, ut omnibus fratribus remanentibus victus ſecundum loci facultatem æqualiter tribuatur: non enim eſt utilis perſonarum acceptio, ſed infirmitatum neceſſaria eſt conſideratio.

.LXVI.
Ut milites Templi decimas habeant.

Credimus namque relictis affluentibus divitiis vos ſpontaneæ paupertati eſſe ſubjectos, unde decimas vobis communi vita viventibus juſte habere hoc modo demonſtravimus. Si epiſcopus eccleſiæ, cui decima juſte debetur, vobis caritative eam dare voluerit: aſſenſu communis capituli de illis decimis, quas tunc eccleſia poſſidere videtur, vobis tribuere debet. Si autem Laïcus quilibet adhuc illam vel ex patrimonio ſuo damnabiliter amplectitur, & ſe ipſum in hoc valde redarguens, vobis eandem

Digitized by Google

dem reliquerit: ad nutum ejus qui præeſt tantum, ſine conſenſu capituli id agere poteſt.

LXVII.

De levibus & gravibus culpis.

Si aliquis frater loquendo vel militando, aut aliter, aliquid leve deliquerit, ipſe ultro delictum ſuum ſatisfaciendo magiſtro oſtendat. De levibus, ſi conſuetudinem non habeant, levem pœnitentiam habeat. Si vero eo tacente per aliquem alium culpa cognita fuerit, majori & evidentiori ſubjaceat diſciplinæ & emendationi. Si autem grave erit delictum, retrahatur a familiaritate fratrum, nec cum illis ſimul in eadem menſa edat, ſed ſolus refectionem ſumat. Diſpenſationi & judicio magiſtri totum incumbat, ut ſalvus in judicii die permaneat.

LXVIII.

Digitized by Google

LXVIII.
Qua culpa frater non amplius recipiatur.

Ante omnia providendum eſt, ne quis frater potens aut impotens, fortis aut debilis, volens ſe exaltare & paulatim ſuperbire, ac culpam ſuam defendere, indiſciplinatus maneat: ſed, ſi emendare noluerit, ei diſtrictior correptio accedat. Quod ſi piis admonitionibus, & fuſis pro eo orationibus, emendare noluerit, ſed in ſuperbia magis ac magis ſe erexerit: tunc, ſecundum Apoſtolum, de pio eradicetur grege: *Auferte malum ex vobis:* 1 Cor. 5. neceſſe eſt ut a ſocietate fratrum fidelium ovis morbida removeatur. Cæterum magiſter, qui baculum & virgam manu tenere debet (baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates ſuſtentet, virgam quoque, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat) conſi-

lio Patriarchæ & ſpiritali conſideratione id agere ſtudeat, ne, ut ait beatus Maximus, aut ſolutior lenitas cohibentiam peccantis, aut immoderata ſeveritas a lapſu non revocet delinquentem.

LXIX.

Ut a Paſchali ſolennitate uſque ad feſtum omnium ſanctorum unam camiſiam lineam tantum ſumere habeat.

Interea, pro nimio ardore Orientalis regionis, miſericorditer conſideramus, ut a Paſchali feſtivitate usque ad omnium ſanctorum ſolennitatem unicuique una camiſia linea tantum, non ex debito, ſed ſola gratia detur; illi dico qui ea uti voluerit: alio autem tempore generaliter omnes camiſias laneas habeant.

LXX.

LXX.

Quot & quales panni in lecto ſint neceſſarii.

Singulorum quidem, non aliter, per ſingula lecta dormientium dormire niſi permaxima cauſa nec neceſſitas evenerit, communi conſilio collaudamus. Lectualia vel lectiſternia moderata diſpenſatione magiſtri unusquisque habeat: credimus enim potius ſaccum, culcitram, & coopertorium unicuique ſufficere. Qui vero ex his uno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id eſt veluſo, frui bene licebit: veſtiti autem camiſiis dormiant, & cum femoralibus ſemper dormiant. Dormientibus itaque fratribus, jugiter uſque mane nusquam deſit lucerna.

Digitized by Google

LXXI.

De vitanda murmuratione.

Æmulationes, invidias, livorem, murmur, ſuſurrationes, detractiones, Divina admonitione, vitare, & quaſi quandam peſtem fugere, vobis præcipimus. Studeat igitur unusquisque vigilante animo, ne fratrem ſuum culpet aut reprehendat, ſed illud Apoſtoli ſecum ſtudioſe animadvertat:
Levit. 19. *Ne ſis criminator, nec ſuſurro in populo.* Cum autem fratrem liquido aliquid peccaſſe agnoverit, pacifice & fraterna pietate, juxta Domini præceptum, inter ſe & illum ſolum corripiat: &, ſi eum non audierit, alium fratrem adhibeat: ſed ſi utrumque contempſerit, in conventu publice objurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatis ſunt, qui aliis detrahunt; & nimiæ infelicitatis ſunt, qui ſe a livore minime cuſtodiunt: unde in antiquam verſuti hoſtis nequitiam demerguntur.

LXXII.

Ut omnium mulierum fugiantur oſcula.

Periculoſum eſſe credimus omni religioſo vultum mulierum nimis attendere; & ideo nec viduam, nec virginem, nec matrem, nec ſororem, nec amitam, nec ullam aliam fæminam, aliquis frater oſculari præſumat. Fugiat ergo fæminea oſcula Chriſti militia, per quæ ſolent homines ſæpe periclitari: ut pura conſcientia & ſecura vita in conſpectu Domini perenniter valeat converſari. Et ſic

Deſinit Regula Templariorum olim equitum.

Natalis Alexander hiſt. Eccl. ſeculi XI. XII. cap. 7. §. 10. vere contendit, recenſitam usque huc Tem- §. 49. *Poſtea immutata.*

plariorum regulam eſſe quibusdam additamentis poſt Synodi Trecenſis tempora interpolatam: quia α. Cap. XXI. famuli prohibeantur alba gerere veſtimenta, quod ſuopte fecerint arbitrio ſine militum conſenſu. β. ibidem memorentur falſi fratres militiam templi mentientes. quorum utrumque pugnet cum narratione *Wilhelmi Tyrii & Jacobi de Vitriaco*, teſtantium, ad concilium Trecenſe Templariorum habitum fuiſſe ſecularem, & numerum non exceſſiſſe novem. Verba ipſa canonis rem faciunt manifeſtam. *habebant enim olim famuli & armigeri alba veſtimenta*: ubi adverbium *olim* indicat, ordinem templariorum tum jam aliquandiu ſtetiſſe. deinde conqueritur canonis auctor, *falſos fratres militari ordini tot contumelias totque damna acquiſiviſſe*, quod proculdubio ante Synodi Trecenſis tempora fieri non potuit.

§. 50. *Quod ulterius probatur.*

Adde can. XXX. Templariis tantum

tum tres equos concedi, & can. XXXVII. frena & calcaria aurea vel argentea interdici; can. LI. dari veniam poſſidendi agros & homines: quæ ſane primam Equitum paupertatem & modeſtiam non redolent. Ceterum pleraque hujus regulæ præcepta pro illius ætatis genio in leviſſimis officiis verſantur.

§. 51. *Etiam ex tonſura.* Obſervo præterea, in prolixa hac regula c. 23. mentionem fieri *tonſuræ* Templariorum ob capillos ſuperfluos, unde colligere licet, ipſos mature à principio militaris inſtituti ſuperſtitioſam capillorum curam habuiſſe: ac ſingularem acceſſiſſe tonſuram, docet hiſtoria Hieroſolymitana ad ann. 1177 *quam plures aſſumta Templariorum tonſura certatim ad carnifices confluunt, & ſub pio novæ profeſſionis mendacio lætam ferientium gladiis cervicem dependunt.*

§. 52. *Habitus Templar. albus. Diſcrimen veſtium.* Diſcrevit Templarios a cætera Laïcorum & Clericorum turba habitus albus a Trecenſi Concilio iis aſſignatus,

ab ætate Johannis Bapt.

tus, quum antea communi uterentur. Tyr. l. 12. c. 7. *Novem autem annis poſt eorum inſtitutionem in habitu fuerunt ſeculari, talibus utentes veſtimentis, quales pro remediis animarum ſuarum populus largiebatur. tandem nono anno, concilio in Francia apud Trecas habito -- iis eſt habitus aſſignatus videl. albus.* Epitom. bellor. ſacror. in VI. tom. lect. Caniſ. *clericalibus utentes veſtimentis, quales eis in Eleemoſynis largiebantur fideles. novem enim annis in habitu ſeculari ſervierunt.* Atque veſtium diſcrimina partim in Eccleſia, partim in Rep. decora valde & antiqua eſſe, non controvertitur: ſed innocentem honeſtumque uſum, creſcente ſuperſtitione, primum neceſſitatis deinde & ſanctitatis opinio corrupit. Equidem Johannes Baptiſta habebat indumentum e pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos, Matth. 3: 4. quod forte erat cilicium

cium e rudibus impexisque cameli pilis contextum, cinguloque de corio facto conſtrictum, veſtis genus triſte ac ſeverum, quale & geſtabat propheta Elias, 2 Reg. 1: 8. At virum conceptione, ortu, educatione & officio ſingularem ſingulari quoque modo eſſe veſtitum, non eſt cur miremur vel temere imitemur. Habitus D. Jeſu fuit omnino communis, *tunica* & *pallium*, Joh. 19: 23. Tunica erat e veſtium rotundarum genere, quæ undiquaque per extremum ambitum clauſæ nullum habebant angulum. De pallio Tertullianus: *Pallium extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus*: quare & e pallii Chriſti in crucem acti quatuor angulis milites fecere quatuor partes. Magiſtri exemplo Apoſtoli nonniſi unica tunica & pallio veſtiri debuere. *Ne poſſidete binas tunicas*, Matth. 10: 10. Confer Marc. 6: 9. μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας, *ne induerentur duabus tunicis.* &

Actor.

Digitized by Google

Actor. 12: 8. περιβαλȣ τὸ ἱμάτιόν σȣ, *indue veſtimentum tuum.* Nempe Veteres non tantum duas ſed tres ac plures aliquando tunicas geſtare ſunt ſoliti: omnesque præter Cynicos philoſophi habuere tunicam *interulam & ſuperariam* ὑποδύτην καὶ ἀπενδύτην, & ſupra utramque, pallium. Romani quoque unica diu contenti tunica, poſt gerere duas inſtituerunt, quarum unam vocavere ſubuculam, alteram induſium, uti *Salmaſius* obſervat in not. ad l. Tertull. de pall. At Chriſtus interdixit diſcipulos omni eo quod ad ornatum luxumve, viatori præſertim incommodum, pertineret, unde & ſandaliorum, non calceorum ipſis uſum permiſit, Matth. 10: 10. Marc. 6: 9. Ita Angelus ad Petrum in carcere: ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σȣ *ſubliga ſandalia tua*, Act. 12: 8. Eſt autem ὑπόδημα calceus cavus, in quem pes immittitur, quoque totus tegitur, & σανδάλιον ſolea, vel crepida quæ plantam pedis

dis modo veſtit, ſuperiore ejus parte nuda: talia ſandalia habuit Petrus, Act. 12: 8. Prophetas falſos affectare veſtes ſingulares, ovillis de pellibus factas, monet D. Jeſus, Matth. 7: 15. Sed Hebræi, miſera quæque ob nomen Chriſti ab hoſtibus paſſi, non cura eligente, ſed inopia jubente, *oberrarunt in ovillis & caprinis pellibus*, Hebr. 11: 37.

Paulo poſt Apoſtolica tempora qui Chriſtianæ diſciplinæ exactiſſimos in omnibus cultores ſe præſtare volebant, uti Philoſophorum inſigniebantur titulo, ſic & pallium geſtare amabant, quod Græcorum Philoſophis erat proprium: veſtimentum ſatis modeſtum & colore pullo, Græci vocarunt τρίβωνα, τριβώνιον, ῥάκον. Juſtinum Martyrem ἐν Φιλοσόφȣ σχήματι, *in habitu Philoſophi*, divinum prædicaſſe ſermonem, teſtatur *Euſeb.* hiſt. Eccl. l. 4. c. 11. quanquam exiſtimem, virum prudentem

§. 53. *Pallium Philoſophicum in Eccleſia receptum.*

dentem eo veſtitu non tam ab *aliis* ſe Chriſtianis diſcernere, quam auditores paganis adhuc ritibus deditos ſuas ad conciones allicere voluiſſe; ſicuti eodem fine nonnulli Monachi luce veritatis Evangelicæ illuſtrati in monaſtico habitu ex verbo Dei ad populum dixerunt. Et Tertullianus presbyter ſive ſacerdos factus rejecta toga pallium induit, eaque propter a Carthaginenſibus reprehenſus librum de *pallio* edidit, quod appellat *habitum ſacerdotalem*, ſiquidem eo Chriſtiani tum ſacerdotes uſi ſunt. Heraclas presbyter Alexandrinus, Origenis æqualis, quum in Philoſophi Magiſtri ſe ſcholam traderet, πρότερον κοινῇ ἐσθῆτι χρώμενος, ἀποδυσάμενος, καὶ Φιλόσοφον ἀναλαβὼν σχῆμα, μέχρι τοῦ δεῦρο τηρεῖ, *rejecta communi qua prius utebatur veſte, habitum philoſophicum ſumpſit, poſteaque ſervavit*, Euſeb. l. 6. c. 19. At contra cæterorum ἀσκητῶν morem Sylvanus ἀκριβῶς δὲ χριστιανίζειν ἐσπουδακώς, καὶ τὸν

τὸν ἀσκητικὸν βίον ἀσκῶν τρίβωνα φέρειν ἐ προῄρητο, *Chriſtianam religionem diligenter excolere niſus, & vitam ſectatus monaſticam, pallium geſtare noluit:* τοσῦτον δὲ ἄτυφος ἦν, ὡς τὰ πολλὰ ἐν τοσύτῳ πλήθει τῆς τηλικαύτης πόλεως, ἀπὸ χορτίνων σανδαλίων προέρχεσθαι. *Ab omni autem faſtu tam fuit alienus, ut ſæpenumero in frequenti multitudine civitatis* (Conſtantinopolitanæ) *quæ tam celebris erat, ſandaliis indutus ex fœno confectis incederet*, Socrat. l. 7. c. 36.

In Rep. Alexander Severus *in animo habuit, omnibus officiis genus veſtium proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut a veſtitu dignoſcerentur: & omnibus ſervis, ut in populo poſſent agnoſci, ne quis ſeditioſus eſſet, ſimul ne ſervi ingenuis miſcerentur. Sed hoc Ulpiano Pauloque diſplicuit, dicentibus, plurimum rixarum fore, ſi faciles eſſent homines ad injurias. Tum ſatis eſſe conſtituit, ut Equites Romani* §. 54. *Alexandri Severi de veſtium diſcrimine edictum.*

Digitized by Google

mani a Senatoribus clavi qualitate diſcernerentur. Pænulis intra urbem frigoris cauſſa ut ſenes uterentur permiſit, cum id veſtimenti genus ſemper itinerarium aut pluviæ fuiſſet. Lamprid. c. 27.

§. 55. *Pauli Eremitæ primi veſtis.* In Ægypto ſolitariæ vitæ auctori Paulo *cibum & veſtimentum palma præbebat*: moribundus tamen ad Antonium inquit: *pallium quod tibi Athanaſius Epiſcopus dedit, ad involvendum meum corpuſculum, defer. Hoc autem B. Paulus rogavit, non quod magnopere curaret, utrum tectum putreſceret cadaver, an nudum (quippe qui tanto temporis ſpatio contextis palmarum foliis veſtiebatur) ſed ut a ſe recedenti mœror ſuæ mortis levaretur.* Hieron. in vit. Paul. Antonius viciſſim mortui Pauli *tunicam ſibi vendicavit, quam in ſportarum modum de palmæ foliis ipſe contexuerat - - - diebusque ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes ſemper Pauli tunica veſtitus eſt*, Id. ibid. An-

Digitized by Google

Ante Conſtantini M. tempora omnes in genere cum Monachi tum Clerici viliore acquieverunt habitu, interiore quidem *colobio*, quæ erat tunica abſque manicis, vel certe cum manicis brevioribus & ad cubitum vix pertinentibus, dicta a Græco κολοβὸς curtus; exteriore vero *pallio*. Sed divitiis Eccleſiæ conceſſis, mox ejus miniſtri elegantius veſtiri amarunt: colobiique in locum ſucceſſit *Dalmatica*, auctore, ut vulgo ſtatuitur, Silveſtro I. genus manuleatarum tunicarum, in Dalmatia repertum, primo luxurioſis & delicatulis probroſum, poſt Sacerdotibus peculiare, quod geſſerunt candidum purpureis cum clavis. Pro pallio ſumtus eſt *byrrus*, quo de veſtimenti genere jamjam plura. Poſt Conſtantinum M. Romani Epiſcopi cito ſat luxuriare veſtibus cœperunt, exprobranti Ammiano Marcellino *circumſpecte veſtiti*, dum quosdam provinciales Antiſtites *vilitas indu-*

§. 56. *Colobium Monachorum: Dalmatica Sacerdotum.*

Digitized by Google

mentorum perpetuo Numini commendat, l. 27. c. 3.

§. 57. *Euſtathius improbat byrros.*

Atque hic veſtium ſacrarum ſive luxus, ſive ornatus, ſive decor, uti diverſi diverſe interpretabantur, anſa erat ſeverioris. μοναςικῆς καὶ ἀσκητικῆς πολιτείας, inſtitutæ ab iis *qui SS. diſciplinæ*, ut Ambroſius loquitur, *attentiores eſſe volebant*, *ſeculique habitum deſerebant*, *qui e ſeculo decedebant*. Sed primus omnium, niſi fallor, lites hac de cauſſa excitavit in Eccleſia *Euſtathius*, Sebaſtiæ in Armenia Epiſcopus, qui tamen ὑπὸ Ἐυλαλίȣ τȣ̃ ἰδίȣ πατρὸς, καὶ ἐπισκόπȣ καισαρείας τῆς ἐν καππαδοκίᾳ ἤδη πρότερον καθῄρητο, ἐπειδὴ ἀνάρμοςον τῇ ἱερωσύνῃ ςολὴν ἠμφιέςο. *ab Eulalio, ſuo ipſius patre, & epiſcopo Cæſareæ in Cappadocia prius jam fuit abdicatus, quod ſe habitu ſacerdotii dignitati parum decoro veſtiverat:* καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῇ δι' αὐτὸν γενομένῃ ἐν γάγγραις τῆς παφλαγονίας συνόδῳ κατεκρίθη, διότι μετὰ τὸ καθαιρεθῆναι αὐτὸν ἐν

Digitized by Google

τῆ κατὰ καισάρειαν συνόδῳ, πολλὰ παρὰ τȣ̀ς ἐκκλησιαςικȣ̀ς τύπȣς ἔπραττεν. γαμεῖν γὰρ ἐκώλυε, καὶ δογμάτων ἀπέχεσθαι ἐδογμάτιζεν. καὶ διὰ τȣ́των πολλȣ̀ς μὴν τȣ̀ς γεγαμηκότας τȣ͂ συνοικεσίȣ ἐχώριζε. καὶ τὰς ἐκκλησίας ἐκτρεπομένȣς, ἐπ' οἰκίας τὴν κοινωνίαν ποιεῖσθαι ἀνέπειθε. δȣ́λȣς δὲ προσχήματι θεοσεβείας τῶν δεσποτῶν ἀπεσπάσατο, αὐτός τε Φιλοσόφȣ σχῆμα φορῶν, καὶ τȣ̀ς ἀκολȣθȣ͂ντας αὐτῷ ξένη ςολῆ χρῆσθαι ἐποίει. *Et poſtea in Concilio Gangrenſi, propter illum convocato, eſt condemnatus: quod poſt abdicationem ſuam in Synodo Cæſareæ habita factam, præter ritus & conſuetudines Eccleſiaſticas multa tentaſſet. Nam nuptias fieri prohibuit, a cibis abſtinendum docuit. Unde nonnullos, qui nuptias contraxerant, a connubio ſegregavit: & illis, qui Eccleſias deteſtabantur, perſuaſit, ut in ædibus ſuis communionem facerent. Servos ſimulatione pietatis Dominis abſtraxit: ipſe Philoſophi habitum geſtavit, ſuosque ſectato-*

res peregrino veſtitus genere uti compulit, Socrat. l. 2. c. 43. Conf. Sozom. l. 4. c. 24. Canon Synodi Gangrenſis adverſus Euſtathium ejusque diſcipulos factus, ordine XII. ita ſonat: Εἴ τις ἀνδρῶν διὰ νομιζομένην ἄσκησιν περιβολαίῳ χρῆται, καὶ ὡς ἂν ἐκ τούτου τὴν δικαιοσύνην ἔχων, καταψηφίσοιτο τῶν μετ' εὐλαβείας τοὺς βήρους φορούντων, καὶ τῇ ἄλλῃ κοινῇ καὶ ἐν συνηθείᾳ ἔσῃ ἐσθῆτι κεχρημένων, ἀνάθεμα ἔςω. *Si quis vir propter eam quæ exiſtimatur pietatis exercitationem, amiculo utatur, & tanquam ex eo juſtitiam habens condemnet eos, qui cum pietate Beros ferunt, & alia communi & conſueta veſte utuntur, ſit anathema.*

§. 58. *Byrrus quale veſtimenti genus?* Ex iſto decreto patet manifeſte, tempore Concilii Gangrenſis, quod Zonaras poſt primam Synodum Nicenam convenisſe ſcribit, περιβόλαιον & σχῆμα φιλοσόφου fuiſſe ξενὸν ἀμφίεσμα, uti in Epiſtola Synodica Canonibus præfixa diſerte vocatur, vel quæ Sozomeni vox eſt, ξενὴν καὶ ἀνήθεα ἐσθῆτα: &

& *Beros* vel *byrros* contra habitum communi uſu receptum. Nomen hujus veſtis variat: modo enim berus, modo birrus dicitur: *Salmaſius* amat ſcribere byrrus a Græco πυῤῥὸς, quod ignei vel ruſſei eſſet coloris: etiam veteribus Latinis burrus Feſto teſte rufus eſt. Habitus ipſe colore & materia pro geſtantium conditione & dignitate differebat, Romanis primum uſitatus ad frigus pluviamque arcendam, maxime quum facerent iter, dictus *lacerna* & *penula*, Paulo Φελόνη, quem ante hyemem a Timotheo ſibi adferri cupiit, 2 Tim. 4: 13, 21. Equidem oportet, ut Byrri ex viliore ac craſſiore panno confecti ab initio ſint, quia frigus & pluviam pellere debuerunt, ſed poſteaquam eos Senatores in Rep. & Clerici in Eccleſia geſſerunt, e ſubtiliore & pretioſiore materia texti fuere, unde Balſamon & Zonaras eos σηρικὰ ὑφάσματα interpretantur. Docti hanc in rem vulgo citant Au-

guſtini dictum e ſermone L. de diverſis. *Offeratur mihi* (ait ſanctus Pater) *v. g. birrum pretioſum, forte decet Epiſcopum; quamvis non deceat Auguſtinum, i. e. hominem pauperem, de pauperibus natum:* ad quem locum obiter obſervare juvat, byrrum ſericum Epiſcopis proprium fuiſſe habitum, neque vero ſacerdotibus aut diaconis communem. Monachi certe illius ætatis byrro ſe nunquam veſtierunt. Caſſianus l. 1. de Inſtit. Monach. c. 7. *Birrorum pretia ſimul ambitionemque declinant*: & Regula Iſidori c. 13. *Linteo non oportet monachum indui, orarium, birros, planetas, non eſt fas uti.* Eſt autem apud ſequioris ævi ſcriptores *orarium* modo ſudarium quo os abſtergitur, modo infula, quæ ora ſeu vultus tegit: & *planeta* veſtis ſacerdotalis cæteris indumentis ſuperimpoſita, dicta quod oris errantibus evagetur.

Circa medium fere ſeculum quartum

Digitized by Google

tum in Tabenna Thebaidis inſula, auctore Pachomio, Antonii monachi diſcipulo, ortum eſt Monachorum genus, quos a loco *Tabenneſiotas* vocarunt: *Iſti ad exemplum Heliæ Theſbitis pellibus ſe induebant, ut ſinguli ex pelle corpori circumjecta virtutem Prophetæ ſemper in memoriam revocantes, ſtrenue contra cupiditates venereas confligerent. -- Fertur item, eos indumenta alia, quam quibus Monachi Ægypti uti ſolebant, ſibi comparaſſe, quo ſpecimen darent ſeverioris cujusdam vivendi diſciplinæ -- Nam tunicis ſe induebant manicis carentibus, quo docerent, ſe manus habere ab injuria & contumelia facienda penitus alienas: caput integumento, quod cucullum appellare ſolent, operiebant: quo oſtenderent, ſe vitam perinde ſimplicem atque ſinceram degere, atque pueros lacte nutritos, quorum caput, quod in membris obtinet principatum,*

§. 59. *Tabenneſiorum habitus.*

Cuculli origo & uſus.

tum, ejuſmodi tiaris obvolvitur, uti tum tegatur ab æſtu & frigore, tum undique foveatur. Habebant præterea cingulum & humerale, quorum altero lumbos circumdantes; humeros & brachia altero amicientes, ſignificarunt, ſe ad Deo ſerviendum, & ad ea opera exequenda, quæ ab eo præcipiuntur, paratos eſſe. Sozom. l. 3. c. 13. qui addit, vulgaſſe famam, quod Pachomius in ſpelunca ſedens ab Angelo inſtituti regulas acceperit.

§. 60. *Libertas veſtium ſervata a quibusdam Monachis.* Palæſtinæ tamen Monachi ex ſingularibus dignoſci veſtibus minime adfectarunt. De iis enim Hieronym. l. 2. Epiſt. 8. *In veſte nulla diſcretio, nulla admiratio. Utcunque placuerit incedere, nec detrectationis eſt, nec laudis.* Quin ipſe Hieronymus Euſtochiam Virginem religioſam hortatur: *Veſtis nec ſatis munda, nec ſordida, & nulla diverſitate notabilis.* l. 2. Epiſt. 19. Etiam monita de veſtitu quæ in Regula

gula Baſilii, ut vulgo dicitur, Monachis ipſius præſcripta, cum præceptis de ſimplicitate, modeſtia, frugalitate & decore Chriſtianorum ſatis conveniunt. Vid. *Hoſpinian.* de ordine S. Baſilii in tract. de Monach.

§. 61. *Luxus in veſtibus Clericorum.*

Secutis ſeculis Clericorum in veſtibus crevit luxuries & pompa, quam coërcere plura Concilia tentarunt: Carthaginenſe IV. quod Cabaſſutius ad ann. Chriſti 398. refert, canone XLV. *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet, & ideo nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.* Narbonenſe habitum anno 589. canone I. *Hoc regulariter definitum eſt, ut nullus Clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem, ut ſicut eſt devotio in mente, ita & oſtendatur in corpore.* Trullanum anno 692. congregatum, canone XXVII. Μηδεὶς τῶν

ἐν

ἐν κλήρῳ καταλεγομένων ἀνοίκειον ἐσθῆτα ἀμφιεννύσθω, μήτε ἐν πόλει διάγων, μήτε ἐν ὁδῷ βαδίζων, ἀλλὰ ςολαῖς κεχρήσθω ταῖς ἤδη τοῖς ἐν κλήρῳ καταλεγομένοις ἀπονεμηθείσαις. εἰ δέ τις διαπράξοιτο τὸ τοιοῦτον, ἐπὶ ἑβδομάδα μίαν ἀφοριζέσθω. *Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati ſunt, veſtem ſibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens: ſed utatur veſtibus, quæ antehac iis, qui in clerum relati ſunt, attributa fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una ſeptimana ſegregetur:* Iidem Trullani Patres Macarium ejusque diſcipulos Monothelitas Actione octava denudarunt *pallio Epiſcopali, alba ſcil. camiſia.* Concilium Nicenum II. anno 787. canone XVI. Πᾶσα βλακεῖα καὶ κόσμησις σωματικὴ ἀλλότριαί εἰσι τῆς ἱερατικῆς τάξεως καὶ καταςάσεως. τοὺς οὖν ἑαυτοὺς κοσμοῦντας ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς διὶ ἐσθήτων λαμπρῶν καὶ προφανῶν, τούτους διορθοῦσθαι χρή· εἰ δὲ ἐπιμένοιεν ἐπιτιμίῳ παραδίδοσθαι· ὡσαύτως καὶ τοὺς τὰ μύρα χριομένους. *Omnis luxus & ornatus corporeus eſt a ſacerdotali ordine*

Digitized by Google

ordine & ſtatu alienus. Epiſcopos ergo vel Clericos, qui ſe ſplendidis & inſignibus veſtibus exornant, ſe corrigere oportet; Sin autem permaneant, pœnis coërceri: ſimiliter & eos, qui ſunt unguentis delibuti. De luxu Canonicorum ſufficiat audire querelam Hugonis de S. Victore, qui obiit anno 1140. Sic vero ille Inſtit. Monaſt. c. 18. *Sed quid dici debeat de quibusdam noſtri ordinis Canonicis? & mens & facies vehementer erubeſcunt. Lectuli eorum culcitris fulciuntur plumeis, linteis & lodicibus accurate parantur. Coturnis teguntur & opertoriis, quod ſi forte videres, lectulum ſponſæ, quæ ſponſum deſideret, forſitan æſtimares. Cappa Canonici & cuculla monachi non differunt a pallio militis, ſed ut ait quidam ſapiens, miles & monachus ex eodem panno partiuntur cucullam & chlamydem. Non multum differt habitus Canonici regularis & ſecularis, ſed ſi*
forte

forte regularem videas, Archidiaconum vel Epiſcopum te vidiſſe contendas. Oper. l. 2. p. 70.

§. 62. *Diverſitas & ſanctitas veſtium Monachorum.*

At habitum Monachorum pro varietate familiarum, quæ magno numero, præſertim in Occidente, pullularunt, varius diſtinxit color, forma inſignivit ſingularis, definivit ſtudium humanum, non uſque adeo male ab initio, poſt temere & inepte, tandem ſuperſtitio infelicium temporum inter res ſacras & neſcio qua virtute divina præditas collocavit. Regula Auguſtini c. 6. apud Hugon. de S. Victore; *Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.* Benedictus, qui circa principium ſeculi VI. Monachorum Occidentalium pater extitit, Regulæ c. 55. *Veſtimenta fratribus ſecundum locorum qualitatem, ubi habitant, vel aërum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus.*

Hæc

ergo conſideratio penes Abbatem eſt. Nos tam mediocribus locis ſufficere credimus monachis per ſingulos cucullam & tunicam: cucullam in hyeme villoſam, in æſtate puram aut vetuſtam, & ſcapulare propter opera. Indumenta pedum pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore aut groſſitudine non cauſentur monachi; ſed quales inveniri poſſunt in provincia qua habitant, aut quod vilius comparari poteſt. Abbas autem de menſura provideat, ut non ſint curta ipſa veſtimenta utentibus eis, ſed menſurata. Scapulare eſt palliolum breve, caput tantum & ſcapulas tegens, cuculli loco Monachis uſitatum quando laborabant: pedules autem pedum indumenta ſunt, tibialia alias dicta. Cæterum habitum Benedictinorum primum deſcribit *Polyd. Vergil.* l. 7. c. 2. de Invent. Rer. Anno 530. in Britannia ortus eſt Monachorum *ordo Apoſtolicus*, quorum veſti-

tus erat melote ex caprinis pellibus, cuculla ſtricta & candida ſtola. Synodus Trullana can. XLII. τοὺς λεγομένους ἐρημίτας, ὅι τινες μελανειμονοῦντες, καὶ τὰς κεφαλὰς κομῶντες περιάγουσι τὰς πόλεις, μεταξὺ ἀνδρῶν λαϊκῶν καὶ γυναικῶν ἀναστρεφόμενοι, καὶ τὸ οἰκεῖον ἐπάγγελμα καθυβρίζοντες, ὁρίζομεν· εἰ μὴν αἱροῦνται τὰς κόμας ἀποκειράμενοι τὸ τῶν λοιπῶν Μοναχῶν ἀναδέξασθαι σχῆμα, τούτους ἐν μοναστηρίῳ ἐγκαθίστασθαι. *Eos qui dicuntur Eremitæ, qui quidem nigris veſtibus induti, & capite comati urbes obeunt, & cum viris laïcis ac mulieribus verſantur; & propriæ profeſſioni faciunt injuriam, ſtatuimus, ſi elegerint quidem tonſis comis reliquorum Monachorum amictum ſuſcipere, eos in monaſterio conſtitui.* Concilium Aquisgranenſe anno 817. ſanxit cap. 20. 21. ut Monachis *veſtimenta nec multum vilia, nec multum pretioſa, ſed mediocria dentur: ut menſura cucullæ duobus conſiſtat cubitis.* Vid. Addit.

Digitized by Google

Addit. 1. ad capit. Caroli M. & Ludovici pii c. 20, 21, 22. De Dominico Sigon. l. 8. de Regn. Ital. ad ann. 1031. *Obiit in Campania Dominicus mirabilium patrator operum, multorumque fundator cœnobiorum, ferme octogenarius. Hunc loricatum Petrus Damiani vocat, quod ad macerandam interioris amictus aſperitate carnem lorica uteretur.* De Petro Eremita, cujus & ſupra §. 10. fecimus mentionem, Guibert. Abbas hiſt. Hieroſ. l. 2. c. 8. *Quicquid agebat ſeu loquebatur, quaſi quiddam ſubdivinum videbatur, præſertim cum etiam de ejus mulo pili pro reliquiis raperentur, quod nos non ad veritatem, ſed vulgo referimus amanti novitatem. Lanea tunica ad purum, cucullo ſuper utriſque talaribus, byrro deſuper induebatur, brachis minime, nudipes autem.* Quo loco byrrus pallium notat faciendis itineribus accommodatum. De Bernhardo lauda-

tus modo Sigonius l. 11. de Regn. Ital. ad ann. 1134. *Eum alloqui cives, & pedes ejus deoſculari geſtiebant, quin & pilos de veſtibus ejus detractos ad opportuna incidentium morborum remedia reſervabant, omnia ſancta judicantes, quæ ille contigiſſet & ſe ſanctos fieri eorum contactu putantes.* De varietate & ſanctitate veſtium Monachicarum vid. Otto Friſing. l. 7. Chron. c. 35. Hugo de S. Vict. Inſtit. Monach. c. 8.

§. 63. *Luxus Benedictinorum in veſtibus.*

Tamen & ipſos Monachos, præſertim Benedictinos, amictu luxuriaſſe tentata ſemel atque iterum a Romanis Pontificibus nigri ordinis emendatio probat. Statuta Gregorii IX. qui anno 1227. in Romana ſede eſt collocatus: *Monachi communibus indumentis & religioſis, ſicut in clauſtro ita foris exeuntes, honeſte ſe habeant: nec recedant ſine cuculla & habitu regulari. Nec capam habeant coloratam; nec cum*

ſella

ſella minus regulari ſumtuoſa, vel clavorum ornatu decorata ſuperfluo, aliquis equitare præſumat. Calcaria deaurata vel deargentata non habeant, ferratura ad ornatum in frenis penitus amota. Nec chirothecis per digitos diſtinctis, nec ocreis roſtratis. Nullus in quocunque loco utatur tunica de burneto, vel coopertoriis, vel alio panno, vel pellibus ſilvaticis, vel lineis camiſiis, vel linteaminibus: ſed veſtiti dormiant & cincti, ſicut in regula continetur; nec veſtes ſciſſas habeant ante vel retro. In Addit. Matth. Paris.

Primum ex decreto Synodi Trecenſis geſtaverant habitum album *ſine cruce*, teſte autore Epit. bellor. ſacror. Sed ab ætate Eugenii III. qui anno Æ. C. 1145. ex Monacho Ciſtercienſi & Bernhardi diſcipulo factus eſt Papa Romanus, Templarii *cruces de panno rubeo, ut inter cæteros eſſent notabiliores, mantellis* §. 64. *Rubea crux in palliis Templariorum.*

 ſuis

ſuis cæperunt aſſuere, tam equites quam eorum fratres inferiores, qui dicuntur ſervientes, Wilh. Tyrius l. 12. c. 7. *Tempore Eugenii Papæ cruces de panno rubeo ſuis aſſuerunt mantellis, ut a ceteris poſſent hoc ſigno diſcerni*, Matth. Paris. p. 67. Quid rubea cruce alboque veſtitu notarint, ex Jacobo de Vitriaco lubet audire. Sic vero ille c. 65. *Tempore Domini Eugenii Papæ cruces rubeas veſtimentis ſuis exterius affixerunt, veſtes albas in ſignum innocentiæ deferentes; per cruces autem rubeas martyrium deſignantes: eo quod ſanguinem proprium ſecundum inſtituta regulæ, pro defenſione terræ ſanctæ effundere ſunt profeſſi, & Chriſti crucis inimicos viriliter expugnando, a Chriſtianorum finibus propellere.*

§. 65. *Varius crucis in veteri Eccleſia uſus.* Atque heic latus ſeſe nobis offert dicendi campus de vario *Crucis* in Veteri Eccleſia *uſu*, uſusque primæva *origine*: modicos tamen intra

tra cancellos oratio noſtra continebitur, nonniſi præcipuam ampliſſimi argumenti partem exhibitura. Et *uſus* quidem ad tria fere capita referri poteſt: vel enim Chriſtiani veteres facto in fronte, aliove corporis membro, crucis ſigno, exitum & introitum aliasve actiones ſuas Deo & Chriſto Servatori in crucem acto commendabant: vel fabricatas diverſa e materia cruces, veſtibus appenſas gerebant, aut manu quoque portabant: vel denique majoris molis cruces e ligno lapideque effectas, pro templis, in templis, atque in viis publicis ſtatuebant.

Morem ſignandi frontem cruce memorat expreſſis verbis Tertullianus loco vulgatiſſimo libri de corona militis: *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos converſatio exercet,* §. 66. *Signum crucis in fronte.*

frontem ſignaculo terimus. Harum & aliarum ejusmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nulla legis traditio tibi prætendetur: auctrix conſuetudo, confirmatrix, & fidei obſervatrix. Lactant. Inſtit. l. 4. c. 26. *Agnus candidus ſine macula Chriſtus fuit, i. e. innocens & juſtus & ſanctus, qui ab iisdem Judæis immolatus, ſaluti eſt omnibus, qui ſignum ſanguinis, i. e. crucis, qua ſanguinem fudit, in ſua fronte conſcripſerint.* Hieron. l. 2. Epiſt. 19. *Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat crucem.* Ex Auguſtino patet, a tenella jam ætate infantes, vel parentes pro infantibus, hanc obſervaſſe conſuetudinem. *Signabar*, ait Confeſſ. l. 1. c. 11. *jam ſigno crucis ejus, & condiebar ejus ſale jam inde ab utero matris meæ.*

§. 67. *Signi hujus cauſſa falſa.* Sunt viri docti qui exiſtimant, priſcos Chriſtianos ſignum crucis eo ſaltem adhibuiſſe fine, ut illo ſe a paganis,

Digitized by Google

ganis, quibus intermixti vivebant, manifeſte diſcernerent, atque gloriam quam in cruce Chriſti ponerent, publice teſtarentur. Sed quod bona cum ipſorum venia dixerim, in eo non leviter errant. Etenim ante Conſtantini M. tempora, quibus pacem Eccleſia accepit,. Chriſtiani non palam frontem cruce ſignarunt, ſed clam, ne qui alieni a doctrina Chriſti erant, id cernerent. Hoc certum mihi facit Tertullianus l. 2. ad Uxor. *Nolite*, inquit, *margarita veſtra porcis jactare, ne conculcent ea, & converſi vos quoque evertant. Margarita veſtra ſunt cottidiana converſationis inſignia. quanto curaveris ea occultare, tanto ſuſpectiora feceris, & magis cavenda gentili curioſitati. Latebisne tu cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas?* Ex quibus Tertulliani verbis colligo, duas fuiſſe cauſſas, quare Chriſtiani in gentilium præſentia cum aliis a ritibus, tum a more

 fron-

frontem ſignandi cruce abſtinebant; unam quidem, quia profanos homines ſacrorum noſtrorum adſpectu indignos judicabant; alteram vero, quia hoſtibus Chriſti temere ſe prodere, illorumque violentam iram incurrere nolebant. Idem l. c. quum privilegia matrimonii inter duos Chriſtianos initi recenſet, ait: *Eleemoſynæ ſine tormento, ſacrificia ſine ſcrupulo. Cottidiana diligentia ſine impedimento. Non furtiva ſignatio.* Nam, ex B. Rhenano loquor, *mulier Criſtiana non audebat, gentili marito ſpectante ſe ſignare, ſed furtim hoc faciebat.* Eandem ob rationem audiente pagano Chriſti nomen haud proferebant. Pergit enim Tertullianus: *Non trepida gratulatio, non muta benedictio. Sonant inter duos Pſalmi & hymni, & mutuo provocant, quis melius Deo ſuo canet.* Non tamen infitior, quandoque Martyres ſuam in Evangelii profeſſione conſtantiam, facto inter

tor-

tormenta quocunque modo crucis ſigno teſtatos eſſe. Euſebius enim l. 8. c. 7. hiſt. Eccl. mentionem facit Juvenis diram mortem propter Chriſti nomen in Phœnicia ſub Diocletiano paſſi, καὶ τὰς μὲν χεῖρας ἐφαπλῦντος εἰς ςαυρῦ τύπον, *& manus in crucis modum e. transverſo expandentis.* Concedo etiam, poſt Conſtantini tempora Chriſtianos in præſentia Gentilium, utpote a quibus ſibi nihil porro mali metuebant, ſignum crucis liberius & quaſi cum inſultatione adhibuiſſe. Atque huc pertinet locus e Cyrilli Hieroſolymitani catech. 13. a *Larrogio* in part. 3. c. 1. hiſt. Euchar. citatus. *Trophæum ſtatuas fidem crucis adverſus contradicentes. Cum enim de Domino cruceque contra infideles quæſtio tibi erit, prius ſtatue manu tua ſignum, & obmuteſcet contradicens.*

Quare ut alia eaque certiora de ſigni crucis uſu in medium adferamus, §. 68. *Vera, a. memoria Chriſti.*

mus, dicimus primum, Chriſtianos veteres ſigni ejus occaſione Jeſum Chriſtum de cruce ſuſpenſum in memoriam ſibi revocaſſe, quod & credidit Leo Allat. de Eccl. Occid. & Orient. perpet. conſenſ. l. 3. c. 18. §. 14. *Solebant Veteres*, ait, *non tantum cum opus aliquod aggrederentur, ſed etiam dum finem ei imponebant, inſigni pietatis exemplo, crucis ſigno id conſignare. Optime factum, noſtræ redemtionis teſſeram ſemper, & in rerum exordiis & earum exitu præ oculis habere.* Uſum hunc indicavit nobis Chryſoſtomus loco in Cl. Suiceri theſaur. exſcripto: πανταχοῦ τὸ σύμβολον ἡμῖν τοῦ σταυροῦ παρίσταται· διὰ τοῦτο καὶ ἐπὶ οἰκίας, καὶ ἐπὶ τῶν τοίχων, καὶ ἐπὶ τῶν θυρίδων, καὶ ἐπὶ τῶν μετώπων, καὶ ἐπὶ τῆς διανοίας μετὰ πολλῆς ἐπιγράφομεν αὐτὸν τῆς σπουδῆς. *Ubique Symbolum crucis nobis adeſt. Ob eam cauſſam & in ædibus, & in parietibus, & in feneſtris, & in frontibus, & in animo ſtudioſe eam inſcribimus.* Dein-

Deinde eodem ſigno Servatori o- §. 69.
ptimo, cujus memoriam recolebant, ſe ſimul atque reculas & actiones ſuas omnes commendabant. Chryſoſt. iterum apud Cl. Suicerum: *β. Commendatio ſui in tutelam Chriſti.*
ὅταν μέλλῃς ὑπερβαίνειν τὰ πρόθυρα τȣ̃ πυλῶνος, τȣ́το Φθέγξαι τὸ ῥῆμα πρότερον· ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σȣ, καὶ τῇ λατρείᾳ σȣ, καὶ συντάσσομαί σοι χριςέ· καὶ μηδέποτε χωρὶς τῆς Φωνῆς ταύτης ἐξέλθῃς· τȣ̃τό σοι βακτηρία ἔςαι, τȣ̃το ὅπλον, τȣ̃το πύργος ἄμαχος. μετὰ τȣ̃ ῥήματος τȣ́τȣ καὶ τὸν ςαυρὸν ἐπὶ τȣ̃ μετώπȣ διατύπωσον: *Januæ veſtibula transgreſſurus hoc prius dic verbum: Abrenuncio tibi Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo, & conjungor tibi Chriſte. Ne unquam absque hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime.*

Hæc propter non tantum frontem, §. 70.
ſed & alia corporis membra, in primis male adfecta, item cibos, veſtes, *Unde ſignarunt cruce & alia mem-*

bra, utenſilia, ædes, &c. ſtes, utenſilia, cruce ſignarunt. Ephræm. Syr. p. 537. *Depingamus & inſculpamus in januis noſtris, & in frontibus, & oculis, & in ore ac pectore, & in omnibus membris noſtris vivificum hoc ſignum.* Hieronym. de Paula Epiſt. 8. l. 3. *Cum os ſtomachumque ſignaret, & matris dolorem crucis niteretur impreſſione lenire, ſuperabatur affectu.* Lectulum cruce notatum e Tertulliano, ædes e Chryſoſtomo nuper audivimus. Et Alexandrini *a Serapide ad Chriſtum converſi crucis Dominicæ ſignum in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, parietibus, columnisque depinxere* apud Rufin. l. 2. c. 29. De cibis Gregor. M. Dial. l. 1. c. 4. ſed paulo jam ſuperſtitioſius: *Quadam die una Dei famula ex eodem* (Equitii) *monaſterio Virginum hortum ingreſſa eſt, quæ lactucam conſpiciens concupivit, eamque ſigno crucis benedicere oblita, avide momordit: ſed arrepta a Dia-*

Diabolo protinus cecidit. Et c. 11. *Dum quadam die fratres illius* (Martyrii provinciæ Valeriæ monachi) *panem ſubcinericium feciſſent, eique obliti eſſent crucis ſignum imprimere, ſicut in hac provincia crudi panes ligno ſignari ſolent, ut per quadras quatuor partiti videantur, idem Dei famulus affuit, eisque referentibus ſignatum non fuiſſe cognovit. Cumque jam panis ille prunis eſſet & cineribus coopertus, dixit: quare hunc minime ſignaſtis? Qui hoc dicens ſignum crucis digito contra prunas fecit. Quo ſignante protinus immenſum crepitum panis dedit, ac ſi ingens in ignibus olla crepuiſſet. Qui dum coctus poſtmodum fuiſſet, ab igne ſubtractus, ea cruce ſignatus inventus eſt, quam non contactus ſed fides fecit.*

Pavimenta tamen cruce inſignire habebatur tandem nefas. De Tiberio II. qui Juſtino in Romano Imperio §. 71. *Exceptis pavimentis.*

perio ſucceſſit anno 575. ſcribit Paul. Diac. l. 17. c. 2. *Quadam die deambulans per palatium vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux Domini ſculpta, & ait: Cruce Domini noſtri frontem & pectora munire debemus, & ecce eam ſub pedibus calcamus. Et dicto citius juſſit tabulam auferri.* Synodus Trullana poſt elapſum & amplius ſeculum idem fieri prohibuit canone LXXIII. τȣ̃ ζωοποιȣ̃ ϛαυρȣ̃ δείξαντος ἡμῖν τὸ σωτήριον, πᾶσαν σπȣδὴν ἡμᾶς τιθέναι χρὴ, τȣ̃ τιμὴν τὴν ἀξίαν ἀποδιδόναι τῷ δι' ȣ̃ σεσώσμεθα τȣ̃ παλαιȣ̃ παραπτώματος ὅθεν καὶ νῷ καὶ λόγῳ, καὶ αἰσθήσει τὴν προσκύνησιν αὐτῷ ἀπονέμοντες, τȣ̀ς ἐν τῷ ἐδάφει τȣ̃ ϛαυρȣ̃ τύπȣς ὑπό τινων κατασκευαζομένȣς ἐξαφανίζεσθαι παντοίως προσάσσομεν, ὡς ἂν μὴ τῇ τῶν βαδιζόντων καταπατήσει τὸ τῆς νίκης ἡμῖν τρόπαιον ἐξυβρίζοιτο. Τȣ̀ς ȣ̃ν ἀπὸ τȣ̃ ϛαυρȣ̃ τύπον ἐπ' ἐδάφȣς κατασκευάζοντας ὁρίζομεν ἀφορίζεσθαι. Ad quæ verba Balſamon: τινὲς ἐν ἐδάφεσιν ἐκκλησιῶν ἢ καὶ ἄλλων τό-

πων

πων ϛαυρικὰ σημεῖα ἀπὸ λίθȣ εἰ ἀπὸ ἑτέρȣ τινὸς εἴδȣς ἐχάραττον. *Nonnulli in Eccleſiarum; vel aliorum etiam locorum pavimentis crucis ſigna in lapide, vel aliqua alia ſpecie imprimebant.*

Tertio facto crucis ſigno tutos ſe ab inſidiis ſatanæ, & ſecuros in periculis credebant, utique non virtute ſigni, ſed Chriſti ſervatoris, cujus curæ eo ſigno ſe commendabant. Atque ſpem eam animo concepere quod vidiſſent, Diabolos ſigno crucis per miraculum e corporibus humanis expelli. Tertull. in Scorp. adv. Gnoſt. *Nobis fides præſidium, ſi non & ipſa percutitur diffidentia ſignandi ſtatim & adjurandi & unguendi beſtiæ calcem. Hoc denique modo etiam Ethnicis ſæpe ſubvenimus, donati a Deo ea poteſtate, quam Apoſtolus dedicavit, quum morſum viperæ ſprevit.*, Lactant. Inſtit. l. 4. c. 27. *Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum, ſciet qui vide-*

§. 72. γ. *Securitas in periculis.*

derit, quatenus adjurati per Chriſtum, de corporibus quæ obſederint, fugiant - - - Neque accedere ad eos poſſunt, in quibus cœleſtem notam viderint, nec iis nocere, quos ſignum immortale munierit tanquam inexpugnabilis murus. Athanaſ. Orat. c. Gent. Τȣ̃ ϛαυρȣ̃ γενομένȣ πᾶσα μὲν εἰδωλολατρεία καθῃρέθη, πᾶσα δὲ δαιμόνων φαντασία τῷ σημείῳ τȣ́τῳ ἀπελαύνεται. *poſt crucis adventum omnis ſimulacrorum cultus ſummotus eſt, omnesque demonum præſtigiæ hoc ſigno propelluntur.* Et de Incarnat. Verb. p. 102. Edit. Col. t. 1. ἡκέτω δὲ ὁ πεῖραν τῶν προλεχθόντων βȣλόμενος λαβεῖν, καὶ ἐπ' ἀυτῆς τῆς φαντασίας, τῶν Δαιμόνων, καὶ τῆς τῶν μαντειῶν ἀπάτης, καὶ τῶν τῆς μαγείας θαυμάτων· καὶ χρησάσθω τῷ σημείῳ τȣ̃ γελωμένȣ παρ' ἀυτοῖς ϛαυρȣ̃, τὸν χριϛὸν ὀνομάσας μόνον, καὶ ὄψεται πῶς δι' ἀυτȣ̃ δαίμονες μὲν φεύγȣς, μαντεία δὲ παύεται, μαγεία δὲ πᾶσα καὶ φαρμακεία καταργεῖται. *Veniat qui iſtorum dictorum experimentum capere velit, & in ipſis præ-*

præſtigiis dæmonum, & impoſturis vaticiniorum, & in miraculis Magiæ utatur ſigno crucis ab ipſis deriſo, nomenque Chriſti invocet, & videbit, quomodo ejus rei metu Dæmones fugiant, vaticinia conquieſcant, magiæ & veneficia irrita jaceant. Hieron. l. 2. Epiſt. 6. ad Heliodor. *Intus eſt periculum, intus eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antennæ figatur in frontibus.* Et ejuſd. l. Epiſt. 20. ad Demetr. *Crebro ſignaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti locum in te reperiat.* Cyrill. Hieroſ. Catech. 13. *Non pudeat igitur nos crucifixum confiteri, ſed in fronte confidenter ſignaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat: in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egreſſu & in ingreſſu, ante ſomnum, recumbendo & ſurgendo, eundo & quieſcendo. Magna hæc eſt cuſtodia, quæ pro-*

propter pauperes gratis datur: ſine labore propter infirmos, cum a Deo ſit hæc gratia, ſignum fidelium, & timor Dæmonum: triumphavit enim de illis in hoc ſigno. Oſtenta illud audacter. Quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi, Metuunt eum, qui contrivit capita Draconis. Martinus Turon. Epiſc. ſe inermem crucis ſigno tutum contra hoſtes fore dixit Juliano, apud *Sulpic. Sev.* de vit. B. Mart. c. 4. De Juliano Imperatore Sozom. l. 5. c. 2. ἔλαθεν ὑπὸ τῆς προτέρας συνηθείας, διά γε χριςιανὸς ἐν ἀπόροις κινδύνοις περιληφθεὶς, τῷ συμβόλῳ τȣ̃ Χριςȣ̃ κατασημάνας ἑαυτὸν, αὐτίκα Φρȣ̃δα τὰ Φάσματα ἐγένετο. *Oblitus conſueto more, quo cum eſſet Chriſtianus, & in gravibus periculis conſtitutus, uti ſolebat, ſe ipſum ſigno Chriſti conſignavit: quo facto ſpectra e veſtigio evanuerunt.* Liceat his unum addere locum e Martialis Lemovicenſium Epiſcopi epiſtola ipſo judice Bellarmino

no ſuppoſititia: *Crux Domini armatura veſtra invicta contra Satanam, galea cuſtodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & angelicas inſidias perverſæ poteſtatis ſibi propinquare nullo modo ſinens. Hoc ſolo ſigno cœleſtis victoria data eſt nobis.* ad Burdigal. c. 8. Magna utique ſigni crucis encomia. ſit tamen rata Epiphanii Diaconi in II. Niceno concilio ſententia: *Multas cruces in ædicula figurare, & præcepta Dei contemnere, imitationisque paſſionis illius obliviſci, extrema dementia eſt.* Concil. Edit. Labb. t. 7. p. 854.

§. 73. *Cur frontem maxime notarint cruce?*

Nolo plura congerere, quæ huc pertinere videntur, ſed verbulo jam lubet inquirere in cauſſam, propter quam priſci Chriſtiani frontem in primis crucis ſigno munierint, quod num Viri Eccleſiaſticæ antiquitatis periti declararint, ego quidem igno-

ro. Quare enim interdum alia membra ſignarint cruce, in aprico eſt: nempe iis tum male ſe habuerunt, ut ex Hieronymo de Paula audivimus. Cor autem hoc ritu peculiariter Chriſto Servatori commendare voluerunt, ne ſive noctu ſive interdiu malæ inde cogitationes prodirent, quo de ſuaviter canit *Prudentius*, at quinti jam ſeculi ſcriptor, in hymno ante ſomnum:

Fac cum vocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem, locumque cordis.
Crucis figura ſignet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ,
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.

Gregor. Turon. l. 2. de Miracul. c. 107. *Si viriliter, & non tepide ſignum vel fronti, vel pectori ſalutare ſuperponas, tunc reſiſtendo vitiis Martyr haberis, quia & ipſi*

Digitized by Google

ipſi martyres ea quæ vicerunt, non ſuis viribus, ſed Dei hæc auxiliis per ſignaculum crucis glorioſiſſime peregerunt. Ad frontis ergo ſignationem quod attinet, aut fallor, aut ſectatores Chriſti eam adhibuere loco moris, quo falſorum Deorum cultores cum ad eos imitandos tum ad honorandos caput redimire coronis ſolebant: Credidit enim vetus Eccleſia, nefas eſſe Chriſtianis, ſertis ejuſmodi tempora cingere, non modo quia cærimonia iſta videantur falſa colere numina, ſed & quia Servatoris exemplo frontem noſtram ſpinea potius deceat corona, utpote qui ad ferendam crucem vocati ſimus, non ad delicias, ornatum, pompam & gaudia. Hoc fere argumentum eſt libri quem Tertullianus de Corona militis ſcripſit. At loco ſpineæ coronæ capiti alias imponendæ videntur acquieviſſe crucis ſigno in fronte facto. Ephræmus Syrus in ſerm. de cruce Dom. *Crux infan-*

Digitized by Google

tium cuſtos, virorum caput, ſenum corona: Tertull. l. c. *Si ob hæc caput ei* (Chriſto) *tuum debes, tale ſi forte ei repende, quale ſuum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, ſi ſpinis non potes: quia non floribus potes. Serva Deo rem ſuam intaminatam.*

Sed præter hanc conjecturam monere oportet, conſuetudinem frontis cruce ſignandæ invaluiſſe inter Chriſtianos non quidem vi, verum occaſione mandati divini quod de ſignandis per Angelos electorum frontibus extat Ezech. 9: 4. *Signa ſignum ſuper frontes virorum gementium & clamantium propter cunctas abominationes quæ fiunt in medio Hieroſolymorum.* Et Apoc. 7: 3. *ne nocete terræ, neque mari, neque arboribus, quoad uſque obſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus ſuis.* Unde a locuſtis e fumo putei egreſſis ii tantum læſi *qui non habebant ſignum Dei in frontibus*

ſuis

ſuis, Apoc. 9: 4. Nullum eſt dubium quin hac frontis filiorum Dei obſignatione innuatur cuſtodia ac defenſio qua illos Deus in plagis longe lateque graſſantibus protegit ac conſervat illæſos: tamen priſci Eccleſiæ doctores iſtud præſidium divinum a ſigno crucis in fronte facto creduli nimis expectarunt. Tertull. l. 3. contra Marcion. c. 22. *Ezechiel: dicit Dominus ad me: pertranſi medio portæ in media Hieruſalem, & da ſignum Tau in frontibus virorum. Ipſa eſt enim littera Græcorum Tau, noſtra* T, *ſpecies crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris,. apud veram & Catholicam Hieruſalem.* in Hebræo eſt: והתוית תו *ſigna ſignum.* LXX. δὸς τὸ σημεῖον. Arnob. ad Pſalm. 85. *habebimus ſignum crucis ejus in bono cum univerſis qui credimus, ita ut videant in frontibus noſtris ſignum tuum, & confundantur, ſive viſibiles, ſive inviſibiles inimici.*

 Al-

§. 74. *Cruces de collo ſuſpenſæ & veſtibus appenſæ:* Alter crucis in veteri Eccleſia uſus, quanquam priore multum recentior, erat, quod cruces diverſa e materia factas geſtarint veſtibus appenſas aut de collo dependentes, vel quoque manibus portarint. Atque hujus quidem conſuetudinis originem ultra Conſtantini M. Helenæque Auguſtæ tempora non licet referre. Poſtquam enim Imperatoris mater ſive invenerat crucem, de qua Jeſum ſuſpenderant Judæi, ſive inveniſſe putabatur, abſciſſæ inde particulæ, ad fidem morti Servatoris faciendam, hinc inde mittebantur, a nonnullis & ceu venerandæ reliquiæ cuſtodiebantur ſuperſtitioſius; corporique appendebantur. Quare alii, qui tam felices non erant, ut ipſi Hieroſolymas adirent, vel aliter portionem de ſalutari ligno acciperent, crucem alia de materia effectam ſecum gerebant. Cyrill. Hieroſ. Catech. XIII. *Si enim nunc negarem, arguet me hic Golgo-*

gotas, cui nunc omnes proxime aſſiſtimus: arguet me lignum crucis, quod per particulas ex hoc loco per univerſum orbem ſparſum eſt. Et Catech. x. *Lignum crucis teſtatur ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos, qui ſecundum fidem ex illo capientes hinc univerſum orbem fere jam replerunt.* Quæ num genuina ſint Cyrilli verba, an inſititia vel adulterata, diſquirendi heic locus non eſt. Socrat. l. 1. c. 13. τȢ δὲ ϛαυρȢ μέρος μέν τοι θήκῃ ἀργυρᾷ περικλείσασα, μνημόσυνον τοῖς ἱϛορεῖν βȢλομένοις, αὐτόθι κατέλιπε. τὸ δὲ ἕτερον μέρος ἀποϛέλλει τῷ βασιλεῖ. ὅπερ δεξάμενος καὶ πιϛεύσας τελείως σωθήσεσθαι τὴν πόλιν, ἔνθα ἂν ἐκεῖνο φυλάττηται, τῷ ἑαυτῷ ἀνδριάντι κατέκρυψεν, ὅς ἐν τῇ κατὰ Κωνϛαντίνῳ πόλιν, ἐν τῇ λεγομένῃ ἀγορᾷ ΚωνϛαντίνȢ, ἐπὶ τοῦ πορφυρȢ καὶ μεγάλȢ κίονος ἵδρυται. *Unam crucis partem in theca argentea occluſam, pro monimento iis, qui illius ſpectandi cupiditate ducerentur, ibi relinquit* (Helena):

 alte-

alteram mittit Imperatori. Quam ubi is receperat, ratus civitatem, in qua illa ſervaretur, omnino ſalvam & incolumem fore, in ſuam ipſius incluſit ſtatuam, quæ Conſtantinopoli in foro, quod a Conſtantino nomen traxit, ſupra columnam ingentem ex lapide Porphyrite confectam collocata eſt. Gregorius Nyſſenus, citante Bellarmino l. 2. de Imag. c. 27. ſcribit in vita Macrinæ ſororis, *eam geſtare ſolitam ad collum crucem argenteam, cui inſerta erat particula veræ crucis.*

Quid ἐγκόλπιον.

Hinc ἐγκόλπια, pectoralia quæ erant cruces e collo in pectore geſtatæ. Nicephorus Epiſcop. Conſtantinop. in actis Concilii Epheſini ann. 431. congregati, apud Cl. Suicerum: Ἀπεςείλαμεν τῇ ἀδελφικῇ ὑμῶν μακαριότητι ἐγκόλπιον χρυσοῦν, οὗ ἡ μία ὄψις κρυςάλλου ἐγκατακεκλεισμένον· ἡ δὲ ἑτέρα εἰκονισμένη δι' ἐγκαύσεως· καὶ ἐντὸς ἔχον ἕτερον ἐγκόλπιον, ἐν ᾧ εἰσι μερίδες τῶν τιμίων ξύλων ἐντετυπωμέναι. *Mittimus beatitati veſtræ fra-*

fraternæ (ſcribit Leoni I. Papæ R.) *encolpium aureum, cujus una facies cryſtallum incluſum, altera picta nigello: & intus habet alterum encolpium, in quo ſunt particulæ honorandi ligni inſculptæ.* Apud Hoſpinianum refert Franciſcus Modius, Gregorianos Monachos Benedictini ordinis, quorum pater erat Gregorius M. poſtea Romanus Papa, *habuiſſe veſtitum cervinum, ſive Betici coloris, cui ad pectus crux rubea intexta fuerit.*

Veri eſt ſimile, ad eum morem confirmandum haud parum feciſſe famam; quæ percrebuit, una & altera vice cruces miraculo eſſe veſtibus impreſſas. Theodor. de templi Judaïci reparatoribus tempore Juliani Imperatoris l. 3. c. 17. §. 75. *Miraculo iis impreſſa.*

Κατὰ δὲ τὴν αὐτὴν νύκτα; καὶ αὖ πάλιν τῇ ὑςεραίᾳ, ὤφθη ἐν τῷ ὀυρανῷ τοῦ σωτηρίου ςαυροῦ τὸ σχῆμα φωτοειδές. καὶ αὐτὰ δὲ τῶν Ἰουδαίων ἐσθήματα ςαυρῶν. ἐπεπλήρωτο, οὐκ ἔτι μέν τοι φωτοειδῶν, ἀλλ᾽ ἐκ μελαίνης κατεσκευα-

σμέτ

σμένων χροιᾶς. *Eadem quoque nocte, & poſtridie rurſus, fulgentem crucis ſalutaris formam in cælo viſam eſſe, ipſaque Judæorum veſtimenta crucis figuris, non fulgentibus illis quidem, ſed & nigro colore confectis ſignata.* Rufin. l. 1. c. 39. *Inſequente nocte in veſtimentis omnium ſignaculum crucis ita evidens apparuit, ut etiam qui diluere pro ſui infidelitate voluiſſet, nullo genere valeret abolere.* Godavius in hiſt. Eccl. ad ann. Chriſti 419. ex Marcell. Chron. memorat, quum in diverſis Palæſtinæ oppidis haud pauci pagani Chriſto nomen dediſſent, ſacris initiati aquis, in eorum tunicis miraculo cruces apparuiſſe. Idem contigiſſe anno 960. Marianus Scotus in Chron. teſtis eſt.

§. 76. *Milites cruce ſignati.* Sed tum demum invaluit maxime conſuetudo cruces veſtimentis aſſuendi, quum Romani Epiſcopi auctoritate expeditiones ſacræ ſive ad occupandam Palæſtinam, ſive ad extir-

tirpandos Romanæ ſedis hoſtes ſuſciperentur. De Urbano II. in Synod. Claræm. Guibertus Abbas hiſt. Hieroſ. l. 1. c. 5. *Signum ſatis conveniens hujus tam honeſtæ profeſſionis inſtituit, & veluti cingulum militiæ: vel potius militaturis Deo, paſſionis Dominicæ ſtigma tradens, crucis figuram ex cujuslibet materiæ panno tunicis, byrris & palliis iturorum aſſui mandavit.* Petrus Diacon. in t. x. Concil. Edit. Labb. p. 517. *Pro militari erat ſignum ſanctiſſimæ crucis. ad hujus autem rei evidens indicium, communi conſilio ſignum ſanctæ crucis ſuper ſcapulam dexteram impreſſere veſtibus.* Baldric. l. 1. hiſt. Hieroſ. *Statim omnes. in veſtibus ſuperamictis conſuerunt ſanctæ crucis vexillum. Sic etenim Papa præceperat; & ituris hoc ſignum facere complacuerat: quippe prædicaverat ſummus Pontifex, Dominum dixiſſe ſequacibus ſuis: ſi quis non bajulat crucem*

cem ſuam , & venit poſt me , non poteſt eſſe diſcipulus meus ; Fulcher. Carnot. l. 1. c. 1. *O quam dignum erat & amœnum nobis omnibus cruces illas cernentibus , vel ſericas vel auro textas , aut quolibet genere pallii decoras , quas in clamidibus ſuis aut birris ſive tunicis , Peregrini , juſſu Papæ prædicti , poſt votum eundi , ſuper humeros ſuos conſuebant.* Marin. Sanut. Torſell. l. 3. p. 7. c. 3. *Vir quidam , Geraldus nomine , Chriſto devotus , qui in prædicto hoſpitali diu ſervierat , de prædicti Abbatis mandato , adjunctis ſibi quibusdam honeſtis viris , habitum regularem ſuſcepit , & veſtibus ſuis albam crucem affigens exterius in pectore , & regularia inſtituta , facta ſolemni profeſſione , promiſit ; & fratres Hoſpitalarii dicti ſunt.*

Crux alba in veſte Hoſpitaliorum.

§. 77. *Cruces manibus geſtatæ.*

Crucem portare manibus ſerior demum incepit ætas , & occaſione quidem diverſa. Chryſoſtomus in ſup-

ſupplicationibus nocturnis àrgenteam crucem præferri iis, qui gloriam Filii æqualem Patris Majeſtati canebant, primus juſſit, ut ab Arianis extra urbis mœnia cœtum inter cantica agentibus diſcernerentur. Socrat. l. 6. c. 8, Ἐπινενόηντο γὰρ παρ᾽ αὐτȣ͂ ϛαυροὶ ἀργυροῖ Φέροντες Φῶτα ἐκ τῶν κηρίνων λαμπάδων. *Erant enim cruces argenteæ ab eo excogitatæ, quibus lucernæ cereæ imponebantur.* Sozom. l. 8. c. 8. ἐν ὀλίγῳ δὲ ἐπισημότεροι γενόμενοι τȣ̀ς ἀπὸ τῆς ἐναντίας αἱρέσεως ὑπερέβαλλον τῷ πλήθει, καὶ τῇ παρασκευῇ· καὶ γὰρ δὴ καὶ ϛαυρῶν ἀργυρᾶ σημεῖα ἀπὸ κηροῖς ἡμμένοις προηγȣ͂ντο αὐτῶν. *brevi tempore illuſtriores facti* (Auditores Chryſoſtomi) *adverſæ ſectæ deditos & multitudine & apparatus ſplendore longe ſuperarunt. nam & crucum argentea ſigna eos præcedebant.* Romani Pontifices, quum in publicum procederent, pompæ cauſſa, ſibi crucem præferri volebant. licet

licet hoc prius honore Exarchos aut Patritios recepiſſent. Anaſtaſ. in Leone IV. apud Carol. du Freſne. *Fecit isdem benigniſſimus crucem auream: noviter & ipſa crux, ut mos antiquitus eſt, ſubdiaconi manibus ferebatur, ante equum prædeceſſorum Pontificum*. Petrus de Marca monet in diſſert. ad Synod. Claræmont. ad hunc uſum adhiberi crucem auream à Carolo M. Leoni III. donatam. Unde Paparum inter miniſtros *cruciferi* ſunt. Jus idem habent Patriarchæ, Archi-Epiſcopi & Epiſcopi, non tamen præſente Legato Pontificis aut Cardinali. Anno 1279. *mota fuit diſcordia inter Archi-Epiſcopos Cantuarienſem & Eboracenſem, eo quod Archi-Epiſcopus Ebor. fecit deferri crucem ante ſe in provincia Cantuar. & inhibitum fuit per Archi-Epiſcopum Cantuar. ne quis venderet victualia Archi-Epiſcopo Eborac. vel contraheret*. Matth. Weſtmonaſt. An. 1285. *Pridie Calendas*

das Maji, poſt Walliam ſubjugatam ad Weſtmonaſterium veniens Rex Eadwardus, præcedentibus Archi-Epiſcopo Cantuar. & ſuffraganeis ſuis Epiſcopis reveſtitis, cum turmis nobilium & religioſorum & popularium comitivis, portionem Dominicæ crucis non modicam, ornatam auro & argento & lapidibus pretioſis, quam de Wallia ſecum tulit, ad Weſtmonaſterium cum ſolenni proceſſione & conventu adduxit. Idem. Innocentius III. devictis per milites cruce ſignatos Albigenſibus inſtituit *Cruciferorum* ordinem, qui Monachi ſic appellabantur, quod cruces in baculis deferrent. Matthæus Paris eos primum anno 1244. in Angliam veniſſe memorat. Quando autem Parochi deducendis funeribus crucem anteferre, vel circa luſtrandos agros portare primum cœperint, dicere non habeo.

§. 78. *Labara crucis ſigno diſtincta à Conſtantino.*

Parum refert, ſive ad primum ſive ad ſecundum crucis uſum referatur factum Conſtantini M. qui labara crucis ſigno diſtinxit, divino, ut Hiſtorici perhibent, ſomnio monitus. Lactant. de mortib. perſecutor. c. 44. *Commonitus eſt in quiete Conſtantinus, ut cœleſte ſignum Dei notaret in ſcutis, atque ita prælium committeret. Fecit ut juſſus eſt, & transverſa* X *litera, ſummo capite circumflexo, Chriſtum in ſcutis notat. Quo ſigno armatus exercitus capit ferrum.* Euſeb. l. 1. de Vit. Conſt. c. 28. ἀμφί μεσημβρινὰς ἡλίου ὥρας ἤδη τῆς ἡμέρας ἀποκλινούσης, αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν ἔφη ἐν αὐτῷ οὐρανῷ ὑπερκείμενον τοῦ ἡλίου σταυροῦ τρόπαιον ἐκ φωτὸς συνιστάμενον, γραφήν τε αὐτῷ συνῆφθαι λέγουσαν τούτῳ νίκα. *horis diei meridianis, ſole in occaſum vergente, crucis trophæum in cœlo ex luce conflatum, ſoli ſuperpoſitum, ipſis oculis ſe vidiſſe affirmavit, cum hujusmodi inſcripti-*

Digitized by Google

ptione hac vince. Hæc Euſebius ex ore ipſius Imperatoris. Et cap. 29. addit, Conſtantino viſum hoc ſecum reputanti ac tandem dormienti, τὸν χριςὸν τȣ͂ θεȣ͂ σὺν τῷ φαγέντι κατ' οὐρανὸν σημείῳ ὀφθῆναί τε καὶ παρακελεύσασθαι, μίμημα ποιησάμενον τȣ͂ κατ' οὐρανὸν ὀφθέντος σημείȣ, τȣ́τῳ πρὸς τὰς τῶν πολεμίων συμβολὰς ἀλεξήματι χρῆσθαι. *Gothofredus* in not. ad Philoſt. 1. l. c. 6. ad illorum inclinat ſententiam, qui hanc narrationem fabulis accenſent: neque diffiteri poſſumus, Conſtantinianum ævum uti ſuperſtitionum ſic & fabularum fuiſſe feraciſſimum. Enimvero ſi facta erunt in dubium vocanda, quotiescunque Auctores in recenſendis eorum circumſtantiis variant, de rebus priſcis parum aut nihil omnino certi habebimus: & quis accuratus eventuum indagator non obſervat, ea quæ noſtra ætate accidunt veriſſime, ab aliis aliter narrari? quare nolim juranti Imperatori

fidem omnino abrogari: licet haud exiſtimem, iſtam Conſtantini viſionem pro magno eſſe miraculo habendam: cur enim valde miremur, belli ducem ſomniare de vexillo, de vexilli ſigno ac de victoria? Atqui veteres monuerunt recte, Romanos vexilla ſua diſtinxiſſe figura, quæ crucem fere expreſſerat. Juſtin. M. in Apolog. II. *Quin & ſigna veſtra figuræ hujus vim præferunt & declarant (vexillorum ſigna dico aliorumque inſignium) & tropæorum, per quæ progreſſus a vobis in publicum quovis locorum fiunt, imperii & poteſtatis indicia in hiſce oſtendentibus, licet hoc non intelligentes faciatis.* Minutius Felix in Octav. *Cruces etiam nec colimus nec oramus. Vos plane qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, ut Deorum veſtrum partes, forſitan adoratis. Nam & ſigna ipſa & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quam inauratæ cruces ſunt*

ſunt & ornatæ? tropæa veſtra victricia non tantum ſimplicis crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur: Conf. *Tertull.* Apolog. c. 16. Porro quod Conſtantinus iſtud vexillorum inſigne ſit interpretatus de cruce inter Chriſtianos celebratiſſima, fieri potuit, quia ſcivit, Chriſtianum populum in Servatore cruci quondam adfixo omnem ponere fiduciam, & ab eo ſolo auxilium ſperare: cæterum non eſſe eum adeo malum, ſed innocentem ac Dei ſui cultorem ſtudioſum, oppreſſum equidem diuturna miſeria, tamen ſervatum mirabiliter auctumque: quin & a Patre ſuo Conſtantio Chloro benigne toleratum: quare ſciens in exercitu ſuo Chriſtianos eſſe plurimos, eoque ad debellandum Tyrannos, qui Romano imperio graves incubuerant, peraptos, uti occaſione ſapienter conſtituit, & poſtquam molimina ejus, devictis hoſtibus feliciter ſucceſſiſſent, publice Chriſto nomen

 dedit,

tametſi noſtræ religionis myſteria nondum intellexerat, ſicuti ex negotio Ariano innotuit. Num vero ei circa meridiem lucidum crucis tropæum in cœlo apparuerit, id in medio relinquo. Saltem poſterioris ævi ſcriptores ſimile quid diverſis vicibus contigiſſe memorant. Paulus diacon. hiſt. miſc. l. 11. c. 20, *Gallo ad Antiochiam veniente* (anno 351.) *circa Orientem ſignum apparuit in cœlo die pentecoſtes. Columna namque ſub ſpeciem crucis in cœlo viſa eſt, ſpeciem luminis habens extenſam a Golgotha uſque ad montem olivarum. In circuitu autem ejus corona erat velut Iridis ſpeciem habens. Hoc & Conſtantius Gallus vidit.* Chronol. Saxon. ad ann. 774. *Rubra Chriſti crux in cœlis poſt ſolis occaſum apparuit.* Dodechin. ad ann. 1147. *Quum Epiſcopus & omnis populus Clerusque* (Merſeburgi) *qui ad diem feſtum convenerant, aſtarent, quaſi Iris in cœlo apparuit,*

paruit, ac in medio cruces oſtenſæ ſunt. Colonienſem provinciam ejusmodi ſignis ad Chriſtum fuiſſe adductam, ſcribit *Matth. Paris* ad ann. 1217.

Cæterum invaleſcente per ſeculorum decurſum ſuperſtitione, hæc ſive vera, ſive ficta ſigni crucis, in cœlo adparitio omni occaſione deprædicari, hominumque credulorum animis inculcari debuit. De labaris aut militaribus vexillis lubet memorare Nicolai I. reſponſum ad conſulta Bulgarorum, cap. 33. *quando prælium inire ſoliti eratis, indicatis vos hactenus in ſigno militari caudam equi portaſſe; & ſciſcitamini, quid nunc vice illius portare debeatis. quid aliud utique, niſi ſignum ſanctæ crucis? ipſum enim eſt quo Moyſes mare diviſit, & Amalek interfecit, quo Gedeon Madianitas ſuperavit; & Chriſtus Dominus noſter Diabolum qui habebat mortis imperium, non ſo-* §. 79. *Poſtea ab aliis.*

lum ſuperavit, ſed & proſtravit. ipſum eſt ſignum quod portamus in frontibus noſtris, ipſo a cunctis defendimur hoſtibus, & ab omnibus munimur incurſionibus. Hoc eſt ſignum fidei, & ingens horror diaboli, quo Chriſtiani principes in neceſſitatibus ſuis ſemper utuntur, & Reges veram religionem ſectantes, ſæpe celebres, Chriſto propitio, triumphos de hoſtibus operantur. Sed ut manifeſtius ſciatis, quid pro illa equina cauda in ſignum debeatis militare convenientius, cum in apparatum belli proceditis portare; pauca de Conſtantini actibus memoranda ducimus, qui piiſſimus Romanorum extitit Imperator, & Chriſtianitatis famoſiſſimus omnium propagator. Ille quippe cum adverſus Maxentium urbis Romæ tyrannum exercitum duceret, erat quidem jam tunc Chriſtianæ religionis fautor, nondum tamen, ut eſt ſolenne noſtris initiari, ſignum Domini-

minicæ paſſionis acceperat. Cum igitur multa ſecum de inſtantis prælii neceſſitate pervolvens iter ageret, ſeque ad cœlum ſæpius elevaret, & inde ſibi divinum precaretur auxilium; vidit per ſoporem ad Orientis partem in cœlo ſignum crucis igneo fulgore rutilare; cumque tanto viſu fuiſſet exterritus, ac novo perturbaretur aſpectu, adſtare ſibi vidit Angelos dicentes: Conſtantine, in hoc vince. tum vero lætus redditus, & de victoria ſecurus, ſignum crucis, quod in cœlo viderat; in ſua fronte deſignat, & hoc in militaria vexilla transformat, ac labarum, quem dicunt, in ſpeciem dominicæ crucis exaptat; & ita armis & vexillis religionis inſtructus adverſus impiorum arma proficiſcitur, & ſine cruore Romani populi, ut ipſe Deum precabatur, Maxentio in flumen demerſo, de Tyranno mirifice triumphavit.

§. 80. *Cruces ſtatutæ in viis publicis, templis.*

Denique tertius crucis uſus in priſca Eccleſia, quo majores ligneas cruces in viis publicis, in templis atque ante templa & alibi fixere, ab eodem Conſtantino primam traxit originem. Nam diſerte Euſeb. de laudib. Conſtant. Ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ νικοποιὸν ἐτίμα σημεῖον, ἔργῳ τὴν πεῖραν τῆς ἐν αὐτῷ θεότητος μαθὼν - - - τούτῳ τὸ πανθῶν ἀγαθῶν τέλος, οἷόν τι χρεὸς βασιλεὺς ἀποδιδοὺς ἁπανταχοῦ τῆς στήλας ἐπινικίους ἱδρύετο. *Imperator autem triumfale ſignum honorat, divinitatem quæ in eo eſt, reipſa expertus - - - Iſti denique cumulatam omnium bonorum, quibus fruimur, expletionem acceptam referens Imperator, columellas triumfales ubique terrarum collocavit.* Mox loca, ubi templa vel Oratoria & monaſteria ædificare volebant, infixa cruce dedicabant, quo de Juliani Anteceſſoris conſtitutio & Juſtiniani Imperatoris novellæ a Carolo du Freſne & Cl. Suicero citatæ extant: eratque nefas ſacræ ædis moliri ſtru-

ſtructuram, niſi præceſſerat σαυροπήγιον. Carol. M. Capitul. c. 229. *Nemo ædificet Eccleſiam antequam civitatis Epiſcopus veniat, & ibidem crucem figat publice.* In viis publicis cruces, ut veri judico ſimile, Diis vialibus ſucceſſere. Theod. Balſamo, ſed XIII. demum ſeculi ſcriptor, ad canon. Trull. LXXIII. ἅγιαι δὲ εἰκόνες καὶ σαυροὶ ἐν δημοσίοις ὁδοῖς παρὰ τȣ͂ θέλοντος ἀνασηλοῦνται. *Sanctæ autem imagines & cruces in publicis viis a volente eriguntur.* Cruces templis impoſitas memorat Niceph. Gregoras ſeculo recentior, l. 9. Τηνικαῦτα μέν τοι πεπτώκασι καὶ πολλοὶ τῶν ἐπὶ τὰς νεὼς ἱδρυμένων ἐκ σιδήρȣ σαυρῶν, ὑπενεγκεῖν ȣ̓ δυνάμενοι τὴν τȣ͂ πνεύματος βίαν. *Tum quoque multæ ferreæ cruces templis impoſitæ, impetu ventorum non tolerato, deciderunt.*

Sed tempus eſt, ut e diverticulo in viam revertamur, indicaturi jam Tem- §. 81. *Vexillum Templariorum.*

Templariorum *vexillum bipartitum ex albo & nigro, quod nominant Bauceant - - - eo quod Chriſti amicis candidi ſunt & benigni, nigri autem & terribiles inimicis*, Jacob. de. Vitr. *Baucens* vel *Bauceant* ſequioris ævi Auctoribus eſt albo & nigro interſtinctus vel bipertitus. Galli id vocabulum præſertim uſurpant de equis, quorum pelles nigro & albo ſunt interſtinctæ, *Du Freſn.* in Gloſſ.

§. 82. *Inſigne.* De inſigni illorum Matth. Paris in Chron. *Primo adeo pauperes, licet ſtrenui, fuerunt, quod unum ſolum dextrarium illi duo* (Hugo de Paganis & Godefridus de Sancto Æodemaro) *habuerunt: unde propter primitivæ paupertatis memoriam, & ad humilitatis obſervantiam in ſigillo eorum inſculpti ſunt duo unum equum equitantes.* Dextrarius, melius Deſtrarius a Celtica voce *Deſtrier* dictus, eſt equus major & cataphractus, in bellis potiſſi-

mum

mum & præliis uſurpatus: aliis a dextra appellatus, quod dextra duceretur, donec certaminis tempus adeſſet.

Regulas inſtituti ab initio ſervabant diligenter & rigide. Jacob. de Vitr. *Quoniam religionis vigor absque diſtrictione diſciplinæ non poteſt obſervari, viri religioſi & prudentes a principio ſibi præcaventes, & in poſterum providentes, transgreſſiones ſeu negligentias delinquentium fratrum nullo modo diſſimulare, vel impunitas præterire voluerunt; ſed quantitatem criminum & peccatorum circumſtantias circumſpecto examine diligenter ponderantes, a conſortio ſuo quosdam irrevocabiliter ejicientes, crucem rubeam auferebant, ne morbidæ capræ contagio grex ovium macularetur: alios autem uſque ad condignam ſatisfactionem ad terram absque mappa cibum teuuem ſumere, ut coram omnibus eis rubor, & aliis timor incuteretur, injungentes: quibus etiam* §. 83. *Diſciplina ſevera.*

Digitized by Google

etiam ad cumulum majoris confuſionis & expiationis canes, ſi forte ſecum manducarent, non liceret amovere: alios etiam, ut a gehennali carcere valerent liberari, carceribus & vinculis ad tempus, vel in perpetuum, ſecundum quod expedire videbatur, coërcebant. Multis inſuper aliis modis, ſecundum regulæ ſalutaris inſtituta, ad obſervantiam regularis diſciplinæ & profesſionis honeſtæ rebelles & contumaces compellebant.

§. 84. Obedientia. *Domino etiam Patriarchæ Hieroſolymitano, a quo profeſſionis principium & vitæ corporalis ſubſidium habuerunt, debitam obedientiam & reverentiam humiliter exhibebant: decimas & alia quæ ſunt Dei, Deo, & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari reddentes. Nulli moleſti erant, ſed ab omnibus propter humilitatem & religionem amabantur*, Idem. Et Bernhard. Exhort. ad mil. c. 4. *Primo quidem utrolibet* (in bello domive)

mive) *diſciplina non deeſt, obedientia nequaquam contemnitur: quia teſte ſcriptura, & filius indiſciplinatus peribit, & peccatum eſt ariolandi repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Itur & reditur ad nutum ejus qui præeſt: induitur quod ille donaverit, nec aliunde veſtimentum ſeu alimentum præſumitur.*

A bello quum vacabant, manibus laborabant. Bernhard. l. c. *Nullo tempore aut ocioſi ſedent, aut curioſi vagantur: ſed ſemper dum procedunt, quod quidem raro contingit, ne gratis comedant panem, armorum ſeu veſtimentorum vel ſciſſa reſarciunt, vel vetuſta reficiunt, vel inordinata componunt, & quæque poſtremo facienda Magiſtri voluntas & communis indicit neceſſitas.* §. 85. *Induſtria.*

Morum honeſtatem, qua ſupra militum ſortem primo excelluere, laudat idem Bernhard. *Verbum*, ait, *in-* §. 86. *Morum honeſtas.*

Digitized by Google

inſolens, opus inutile, riſus immoderatus, murmur vel tenue ſive ſuſurrium nequaquam ibi deprehenditur inemendatum. Scacos & aleas deteſtantur, abhorrent venationem, nec ludicra illa avium rapina, ut aſſolet, delectantur. Mimos & magos & fabulatores, ſcurrileſque cantilenas, aut ludorum ſpectacula, tanquam vanitates & inſanias falſas reſpuunt & abominantur. Petrus Abbas Cluniac. Epiſt. 26. l. 6. ad Ebrard. magiſtrum templi. *quis non lætetur, quis non exultet, proceſſiſſe vos non ad ſimplicem, ſed ad duplicem conflictum: in quo & contra ſpirituales nequitias, juxta Apoſtolum, animi virtutibus: & contra corporales hoſtes corporis viribus dimicatis? in quorum uno quicquid ſanctorum Monachorum vel Heremitarum eſt, aſſumſiſtis: in altero omnium religioſorum propoſitum exceſſiſtis. militant quidem illi Deo, & licet caſtigando*

do corpus ſuum, & in ſervitutem redigendo laborent: tamen corpore a mundi tempeſtatibus, & maxime a bellorum tumultibus requieſcunt. at vos, ut dictum eſt, & fortem armatum eisdem eorum artibus ſuperatis: & contra illa ejus, quæ aperte adverſus Chriſtum producit, infernalia caſtra, Saracenorum dico agmina, pugnando aſſidue non ceſſatis. Eſtis monachi virtutibus: milites actibus: illud ſpiritualiter implendo: iſtud corporaliter exercendo.

In bello ſe gerebant laudabiliſſime, *ad nutum & mandatum ejus, qui præeſt militiæ, non impetuoſe neque inordinate, ſed prudenter & cum omni cautela ad prælia procedendo, primi in progrediendo, in regrediendo poſtremi: nec eſt eis licitum, terga fugiendo dare, vel ſine mandato reverti,* Jacob. de Vitr. *Strenui & fortes Chriſti milites, tanquam alii Machabæi de viri-* §. 87. *Prudentia & fortitudo bellica.*

bus ſuis non præſumentes, ſed in virtute divina omnem ſpem ponentes corpora ſua pro Chriſto exponebant. Sic & Dominus cum ipſis & pro ipſis pugnabat. unde adeo formidabiles facti ſunt, quod unus perſequebatur mille, & duodecim millia, non quot eſſent ſed magis ubi eſſent, dum ad arma clamaretur, interrogantes: Leones in bello, agni in domo, in expeditione milites experti, in Eccleſia velut Eremitæ & Monachi, inimicis Chriſti duri & feroces, Chriſtianis autem mites & benigni, Epit. bell. ſacror.

§. 88. *Bona fama in orbe.* Ex quo factum eſt, quod nomen honeſtatis eorum, & famà ſanctitatis quaſi cella aromatica redolens ſuavitatem odoris, diffuſa eſt per mundum univerſum; & impleta eſt domus ſanctæ Eccleſiæ ex odore unguenti; & memoria eorum in ore omnium fidelium quaſi mellis dulcedinem ſapiebat. *Idem.* Natalis Alexan-

lexander indicat, in Spicilegio Dacheriano, t. XIII. extare dialogos Anſelmi Havelburgenſis Epiſcopi, quorum l. I. noſter ordo inſigniter commendetur.

§. 89. *Incrementum.* Hiſce de cauſſis Templariorum res crevit in immenſum, ut licet primis novem annis nonniſi novem fuiſſent, tamen Wilhelmi Tyrii ætate, trecentos plus minusve in conventu habuerint equites, albis chlamydibus indutos: exceptis fratribus, quorum pene infinitus erat numerus. uti laudatus Tyrius loquitur. l. 12. c. 7. *Milites autem ex univerſo mundo*, Vitriaci ſunt verba, *non ſolum mediocres, ſed & Duces & Principes eorum exemplo mundi vincula disrumpentes, & omnibus pro Chriſto renunciantes, ad eos confluebant, profeſſionis & religionis eorum cupientes eſſe participes; pompoſam mundi vanitatem & carnales delicias a ſe penitus relegantes, & tanquam ſtercora re-*

putantes, Chriſti militiam & religionis humilitatem divinitus inſpirati devotiſſime amplexabantur. Unde modico tempore adeo multiplicati ſunt, quod in conventu eorum plusquam trecentos equites, exceptis ſervientibus, quorum non erat numerus, omnes albis chlamydibus indutos haberent. Matth. Paris. p. 615. *Habent Templarii in Chriſtianitate novem millia maneriorum.* ad Ann. 1244. Eſt autem *Manerium* habitatio cum certa agri portione a manendo dicta; Gallis *Manoir*, Du Freſne.

§. 90. *Progreſſus aliorum Ordinum.* Stupenda incrementa, quæ Templarii intra quinquageſimum ab Ordinis inſtitutione annum ſumſerunt, in memoriam nobis revocant incredibiles progreſſus, quos diverſi Ordines ſacri brevi fecere. Nam Benedictum, Monachorum Occidentalium Patrem, familiam ſuam, hancque plures in ramos diviſam, longe lateque in univerſa propagaſſe

gaſſe Europa, nemo eſt qui ignoret; & teſtatur Trithemius, ſua ætate *monaſteria Benedictinorum Abbates habentia, exceptis præpoſituris, prioratibus, & cœnobiis monialium, ultra quindecim millia fuiſſe.* De Hoſpitalariis Robert. de Monte in contin. Sigeb. ad ann. 1131. *Fratres quoque de Hoſpitali ſub religioſo habitu continenter viventes ubique ſe multiplicando diffundebant.* Et Matth. Paris ad ann. 1244. *Hoſpitalarii habent in Chriſtianitate novendecim millia maneriorum, præter emolumenta & varios proventus ex fraternitatibus & prædicationibus provenientes, & per privilegia ſua accreſcentes.* Multiplicationem ordinis Prædicatorum Beatam Virginem Dominico ejus auctori viſione pronunciaſſe, tradit apud Hoſpinian. ſcriptor vitæ Dominici: at quicquid ſit de viſo Dominici, ſaltem eventus ſpem illius mirabiliter confir-

firmavit: refert enim *Antonius Florentinus*, qui circa annum Domini 1458. hiſtoriam ſuam abſolvit, hunc ordinem ab anno Chriſti 1220. uſque ad ſua tempora nactum eſſe in Italia conventus 145. in provincia Tholoſana 25. in provincia Provinciæ 27. in provincia Franciæ 29. in Hiſpania 29. in Arragonia 14. in Teutonia 48. in Saxonia 46. in Anglia & Wallia 44. in Hibernia 24. in Scotia 13. in Polonia 32. in Bohemia 22. in Hungaria, quæ comprehendit Pannoniam, Sclavoniam & Dalmatiam 35. in Dacia, Suecia & Norwegia 26. in Græcia 4. & in Terra ſancta 5. ut jam Monialium hujus ordinis monaſteria ſilentio prætereamus. Neque ſterilior parens Franciſcus Aſſiſius fuit. Volaterr. l. 21. *Auctus exinde paulatim ordo, ut cunctis poſtea multitudine virorum præſtiterit, & ſacerdotio, & doctrina, & ſanctitate præcellentium.* Et quid dicam de Patri-

Digitized by Google

Patribus ſocietatis Jeſu, qui ab initio pauci, diu neglecti, repreſſi diutius cohibitique, a Papis & Regibus, a Senatoribus, Epiſcopis, Doctoribus & monachis, paulatim ea, qua ſciunt, ratione, creverunt numero, auctoritate, opibus, potentia, ut jam in quatuor mundi partibus, ſi quis diligere illos nolit, metuere aut ſaltem mirari neceſſe habeat.

Uti numero, ſic & divitiis mature ſunt aucti Templarii, Wilh. Tyr. *Poſſeſſiones tam ultra quam citra mare adeo dicuntur immenſas habere, ut jam non ſit in orbe Christiano provincia, quæ prædictis fratribus bonorum ſuorum portionem non contulerit; & regiis opulentiis pares hodie dicuntur habere copias.* Jacob. de Vitriac. *Amplis autem poſſeſſionibus tam citra mare quam ultra dilatati ſunt in immenſum, villas, civitates & oppida, exemplo Fratrum* §. 91 *Templariorum divitiæ:*

trum Hoſpitalis S. Johannis, poſſidentes, ex quibus certam pecuniæ ſummam pro defenſione terræ ſanctæ, ſummo eorum Magiſtro, cujus ſedes principalis erat in Hieruſalem, mittunt annuatim. Divitias Templariis ſucceſſu temporis non modo fuiſſe occaſionem luxus, ſuperbiæ & libidinis, ſed quoque cauſſam exitii, infra obſervabitur.

§. 92. *& aliorum Ordinum.* Atque hæc erat veterum Clericorum Ordinumque religioſorum felicitasne dicam an infelicitas, quod poſt Conſtantini M. tempora, quum fere gentes omnes ad Eccleſiam accederent, opes & facultates cumulatim in eorum ſinum non conjicerentur ſed effunderentur, Laïcis ſibi familiisque ſuis alendis parum aut nihil de ſubſtantiis ſuis reſervantibus. De Benedictinis, & præſertim Caſſinenſibus Monachis Volaterr. l 21. *Hoc Caſinenſe cœnobium religionis caput, cujus aureorum* XL *millia reditus fuere, urbibus*

opi-

opibusque plurimis, ſi per Tyrannorum rapinam licuiſſet, dominabatur. Regna potius quam cœnobia vir ſanctus poſteris reliquit, nimirum fortaſſe ignorans, non ſe tam pauperibus hoſpitium, aut Chriſti ſervis ad divina myſteria ſubſidium (uti ſperabat) quam Clericis & ſacerdotibus ocium atque luxuriam pariturum. Sed extrema dies hanc profecto ſagenam excutiet. De Monachis in genere Polyd. Vergil. l. 7. de Inv. rer. c. 2. *Atque ita monaſtica inſtituta ut humana, haud diu inviolata ſtetere, hominum moribus ſemper in deteriora inclinantibus, ac divitiis pietatem, quæ ut mater illas a principio Ordini pepererat, contaminantibus.* Pauciſſimi enim fuere ſimiles iis, de quibus Sulpic. Sever. dial l. cap. 5. *aurum atque argentum, quæ prima mortales putant, neque habent neque habere cupiunt. Nam cum ego presbytero illi decem nummos au-*

aureos obtuliſſem; refugit, altiore conſilio proteſtatus, Eccleſiam auro non ſtrui, ſed potius deſtrui. Quare & diverſorum Principum Chriſtianorum extant leges, quibus liberalitati erga Eccleſiam exercendæ modus ponitur: Valentiniani, Valentis & Gratiani in Cod. Theod. *Eccleſiaſtici, aut ex Eccleſiaſticis, vel qui continentium ſe volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillorum domos non adeant, ſed publicis exterminentur judiciis, ſi poſthac eos ad fines earum, vel propinqui putaverint deferendos. Cenſemus etiam, ut memorati nihil de ejus mulieris, cui ſe privatim ſub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quacunque, vel extremo judicio poſſint adipiſci, & omne in tantum inefficax ſit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per ſubjectam perſonam valeant aliquid vel donatione, vel teſtamento percipere.* Capitul. Carol.

M. l. 1. c. 89. *Statutum eſt, ut nullus quilibet Eccleſiaſticus ab his perſonis res deinceps accipere præſumat, quarum liberi aut propinqui hac inconſulta oblatione poſſint rerum propriarum exheredari. Quod ſi aliquis deinceps hoc facere tentaverit, a Synodali vel imperiali ſententia modis omnibus feriatur.* Et l. 5. cap. 175. coërcetur Epiſcoporum & Presbyterorum cupiditas ditandi poſt mortem propinquos ipſorum. *Decrevimus ut Epiſcopus de rebus ſui juris, quas aut ante Epiſcopatum, aut certe in Epiſcopatu hereditaria ſucceſſione acquiſivit, ſecundum autoritatem canonicam quicquid vult & faciat, & cui vult conferat. Poſtquam autem Epiſcopus factus eſt, quaſcunque res de facultatibus Eccleſiæ, aut ſuo aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non propinquorum ſuorum, ſed in Eccleſiæ cui præeſt, jura*

Digitized by Google

jura deveniant. Similiter & de Presbyteris qui de Eccleſiarum rebus quibus præſunt, prædia eo modo emunt, faciendum ſtatuimus. quoniam multos presbyterorum occaſione taliter emtarum rerum Eccleſias quibus præſunt expoliaſſe, & a ſuo miniſterio multimodis exorbitaſſe, & ſe diabolo mancipaſſe, & hac occaſione multos Laïcorum in ſcandalum damnationis & perditionis proruiſſe comperimus.

§. 93. *Cauſſæ liberalitatis erga Clericos, Monachos & Milites ſacros:*

Non juvat, plura hac de re Imperatorum, Regum & Rerump. edicta, ſive priſca, ſive recentiora; congerere: ſed operæ eſt pretium, in cauſas inquirere, quæ fecere, ut Eccleſiæ, in primis vero Monachi, Clerici, Militesque religioſi adeo ditarentur. Et diligenter mihi de illis cogitanti manifeſtum fit, Eccleſiaſticos aliorumque Ordinum viros nihil omiſiſſe, quod ad acquirendas opes faceret; atque illorum deinde, qui ſuas opes tam largiter vel di-

ſtri-

ſtribuerunt, vel profuderunt, animos ita fuiſſe conſtitutos, ut excitari ad liberalitatem exercendam facillime potuerint.

Primum dico, Eccleſiam ejusque Antiſtites, cum togatos tum ſagatos, ea curioſiſſime omni tempore media adhibuiſſe, quibus divitiæ conquiri ſolent. Ut enim a Concionatoribus, etiam antiquiſſimis, bonis alias & religionis propagandæ ſtudioſis, incipiam, quis quæſo in eorum ſermonibus ad cœtum habitis tam eſt peregrinus & hoſpes, ut ignoret, plures in illis occurrere exhortationes ad faciendam munificentiam, præſertim Eccleſiæ ſive pauperi adhuc ſive jam diteſcenti, quam monita de Servatore optimo ſuper omnia diligendo, de fiducia in eo ſolo collocanda, de remiſſione peccatorum unice ob ejus meritum conſequenda, de gratia ipſius eaque ſola vehementiſſime & conſtantiſſime deſideranda, de animo occaſione omni

§. 94.
a. in Accipientibus,
Conciones,

omni ad Deum elevando, deque cogitationibus omnibus a terreſtribus & humanis ad cœleſtia & divina dirigendis? Quæ certe præcepta tam ſalutaria, tam neceſſaria, Chriſtiano homine tam digna, vel non ſatis diligenter & ſæpe inculcata, vel omnino fuiſſe a multis prætermiſſa, uti notiſſimum ſic & turpiſſimum eſt, nulliſque gemitibus & lacrymis ſatis deplorandum. Atque hanc quidem negligentiam ſupinam inter præcipuas cauſſas referre ſoleo, cur in Eccleſiam pro ſancta veritate hæreſes, errores & mendacia, pro vera pietate impietas & ſuperſtitio, pro conſolatione dubitatio, metus, angor & deſperatio ſubierint, unoque ut dicam verbo, horridiſſima corruptio longe lateque omnia vaſtarit perdideritque.

§. 95. *a Conciliis imperata.* Si quando concionantium fervor in exigenda ſtipe videbatur defeciſſe, Synodorum fulgura & fulmina eum rurſus incendebant. E multis

ſuffi-

ſufficit audire can. XI. Concilii Matiſcon. circa finem ſeculi VI. congregati: *Sectatores hoſpitalitatis nos eſſe non ſolum D. Jeſus admonet, cum ſe dicit in hoſpitem receptum fuiſſe, ſed etiam Apoſtolus omnibus pene præceptis. Propterea, beatiſſimi fratres, unumquemque noſtrum oportet, non ſolum ſemet ipſum ad hoc opus aptare, ſed etiam omnium fidelium mentes, ut poſſint apud Deum miſericordiæ operibus pro noſtris peccatis intercedere, & nos ei per veram hoſpitalitatem reconciliari. Si quis ergo noſtrum non admonuerit, aut exemplum exhortationis ſuæ ipſe prius comprobaverit opere, indignationem divinæ procul dubio incurret majeſtatis. Prædicetur hoc noſtræ mediocritatis ſtatutum in auribus omnium Chriſtianorum.* Nempe donatis liberaliter aut teſtamento legatis opibus tribuebatur vis Deum placandi, peccata delendi, pœnas-

que

Digitized by Google

que temporales juxta & æternas auferendi, ut locupletes tanto eſſent ad exercendam beneficentiam proniores. Errorem aut peperit aut fovit vetus latina traductio moniti a Daniele dati Nabuchodonoſoro, c. 4: 24. פרק *abrumpe peccata tua per miſericordiam*, quod Græci λύτρωσαι & Latinus *redime* reddiderunt.

§. 96. *Privatim præſtita divitibus officia.* Concionum efficaciam augebat privatæ converſationis ſtudium, quo Clerici Monachique indefeſſi agebant omne id, quod ad promerendam divitum gratiam alliciendamque liberalitatem pertinet. Feliciter ſed ſordida ſordide in Epiſt. deſcripſit Hieronymus. *Oſculantur* (de Clericis Romanis loquitur) *capita matronarum, & extenta manu, ut benedicere eos putes velle, ſi neſcias pretia accipiunt ſalutandi --- quidam in hoc omne ſtudium vitamque poſuerunt, ut matronarum nomina, domos moresque cognoſcant, ex quibus unum, qui hujus artis eſt princeps,*

ceps, breviter deſcribam: --- Cum ſole feſtinus exſurgit, ſalutandi ei ordo diſponitur, viarum compendia requiruntur, & pene uſque ad cubicula dormientium ſenex importunus ingreditur; ſi pulvillum viderit, ſi mantile elegans, ſi aliquid domeſticæ ſupellectilis, laudat, miratur, attrectat, & ſe his indigere conquerens, non tam impetrat quam extorquet. Iterum de Sacerdotibus & Monachis: *Audio in ſenes & anus abſque liberis quorundam turpe ſervitium. Ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi & phlegmata pulmonis manu propria ſuſcipiunt.* At æqua lance qui rem ponderabit, deprehendet, Clericos Monachosque Hieronymi ætate nonniſi rudes diſcipulos indoctosque tyronos in arte mendicandi fuiſſe, ſecutis autem ſeculis Magiſtros peritiſſimos Doctoresque conſummatiſſimos evaſiſſe.

Digitized by Google

§. 97. *Lucrum ex uſuris.* Tertio, præter artem aſſentatoriam exercuerunt quoque uſuras. Hinc manavit *Leonis* I. monitum Epiſt. l. c. 3. *Nec hoc quoque prætereundum eſſe duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos, uſurariam exercere pecuniam, & fænore velle diteſcere. quod nos non dicam in eos, qui ſunt in clericali officio conſtituti, ſed in laïcos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus.* Et cap. 4. *Illud etiam duximus præmonendum, ut ſicut non ſuo, ita nec alieno nomine, aliquis Clericorum exercere fænus attentet. indecens enim eſt crimen ſuum commodis alienis impendere.* Et Concilii Conſtantinop. canon. x. *Epiſcopus, presbyter aut diaconus, qui uſuras vel centeſimas accipit, vel ceſſet, vel deponatur.*

§. 98. *Vita Clericalis vel Monaſtica hominibus opulentis perſuaſa.* Quarto, quem noverunt divitiis opibusque florere, ad Clericatum vel Monaſticam vitam traducere ſtudue-

duerunt, ut ſimul bonis illius potirentur: unde Principum manarunt edicta, quibus id fieri prohibetur. Capitul. Caroli M. l. 1. c. 120. *Quosdam vero cupiditatis cauſa, ab his qui res illorum concupiſcunt, circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus.* Et l. 5. c. 137. *Statutum eſt, ut nullus in Canonica aut regulari profeſſione conſtitutus aliquem tonſurare propter res adipiſcendas deinceps perſuadeat. Et qui hoc facere tentaverit, Synodali vel Imperiali ſententia modis omnibus feriatur.*

Quinto, fatemur libentiſſime, Deum ex Clericis & præſertim Monachis nonnullorum rexiſſe animos, ut vel proprias vel aliunde acceptas opes laudabiliter impenderent, eoque viciſſim divites ad edenda liberalitatis erga ipſos ſpecimina excitarent. Nam pauperes nutriebant, ægrotos curabant, peregrinos advenasque hoſpitio excipiebant, ju- §. 99. *Bonus opum uſus.*

ventutem indigam alebant, rudemque crudiebant. Ita laudat *Mezeræus* in Compend. Chronol. antiquiſſimos Galliæ Monachos, quod labore manuum quæritantes victum, ſubſtantias ſuas in pauperes erogarint, etſi renunciare iis neceſſe non habuerint: ſeptimo autem ſeculo teſtatur Monachos coluiſſe diverſas Galliæ terras, Barbarorum incurſionibus vaſtatas, ut egenorum neceſſitatibus ſuccurrerent. Et in vita Philippi Auguſti ſcribit, Franciæ Nobiles bonam decimarum partem dediſſe Benedictinis; quod eorum Monaſteria Nobilium aliorumque viatorum hoſpitia, & juventutis ſcholæ eſſent.

§. 100. *Fraudes & violentia aliorum.* Allegare ſexto loco poſſem furta, rapinas, teſtamentorum ſubjectiones, fictas donationes, & alias hujus generis fraudes ac violentias, quibus opes Eccleſiæ mire creverunt: at malo turpia ſilere quam legibus Principum, placitis Conciliorum, &

& publice recenſitis accuſationibus & condemnationibus invidioſe probare. Hoc tamen ſpero, vitio mihi verti non poterit, ſi dicam, religioſos milites religione militari, id eſt, raptibus, deprædationibus, concuſſionibus & homicidiis, ſi non acquiſiviſſe divitias, ſaltem auxiſſe. Nam ſimiles querelas de noſtris Templariis ipſa ab Eccleſia motas jam jam audiemus.

Præſtat ſeptimo indicare, quam ſe gratos præſtiterint Clerici, Monachique erga eos, qui aut ingentibus donis aut larga hereditate bene de ipſis ſunt meriti. Etenim vivos colebant curioſiſſimis officiis, & tanquam viva conſummatæ pietatis exemplaria digito monſtrabant: mortuos pro concione laudabant eloquentiſſime, atque inter Sanctos primi ordinis collocabant, nomina inſcribebant faſtis, cadavera ſepulcro cum veneratione & pompa & gemitibus & lacrymis & planctibus inferebant, ani-

§. 101. *Gratus erga liberales animus.*

animas ſacrificiis, precibus & ſupplicationibus in purgatorio igne recreabant, vel ex eo evocabant.

§. 102. *Clericorum ſcopus in comparandis opibus,* Divitiis tantis vel in vita ſunt abuſi ad voluptates, vel poſt mortem nepotes aliosve propinquos ditare ſtuduerunt. De luxu Clericorum in genere *Sulpic. Sev.* dial. I. c. 21. *qui ante pedibus aut aſello ire conſueverat; ſpumante equo ſuperbus invehitur: parva prius ac vili cellula contentus habitare, erigit celſa laquearia, conſtruit multa conclavia, ſculpit oſtia, pingit armaria, veſtem reſpuit groſſiorem, indumentum molle deſiderat. atque hæc caris viduis ac familiaribus mandat tributa virginibus: illa ut birrum rigentem, hæc ut fluentem* *Ut ſe molliter curarent;* *texat lacernam.* De Romanis Epiſcopis ſingulariter *Ammian. Marcell.* hiſtor. l. 27. c. 3. *neque ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei.* (Epiſcopatus de quo Damaſus & Urſinus

tam

tam atrociter certaverant) *cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti, futuri ita ſint ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo ut eorum convivia regales ſuperent menſas. qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine urbis deſpecta quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorundam provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo Numini veriſque ejus cultoribus ut puros commendant & verecundos.*

Eccleſiaſticorum morem ditandi poſt mortem conſanguineos graviter perſtrinxit *Salvian.* l. 2. c. avarit. *Peram de Apoſtoli manu rapuit, & peragrantibus univerſum mundum* §. 103. *Et poſt mortem propinquos ditarent.*

 mi-

niſtris ſuis uſum unius virgulæ non reliquit. Et poſt hæc parum eſt ſucceſſoribus eorum, i. e. Levitis ac Sacerdotibus, tanta divinarum rerum adminiſtratione fungentibus, ſi ipſi tantum divites fuerint; niſi etiam heredes divites relinquant. Erubeſcamus quæſo hanc infidelitatem. Sufficiat nobis quod videmur uſque ad vitæ terminos Deum ſpernere!

§. 104. *β. in dantibus.* Ex hiſce omnibus liquido conſtare exiſtimo, Eccleſiæ proceres nihil omiſiſſe eorum, quæ ad impetrandas opes faciunt: nunc quoque alterum eſt oſtendendum, quod a principio poſui, ſcil. Chriſtianorum animos ita tum fuiſſe comparatos, ut ad largienda Eccleſiæ bona movr i facile potuerint.

§. 105. *Lætitia de pace obtenta.* Primo enim lætabantur pace Eccleſiæ & libertate religionis ab Imperatoribus data: mens autem læta acquiſito recens bono lubentiſſime impendit ea, quæ ad fruitionem hu-

jus

jus boni neceſſario impendi debent: plane uti videmus vaſtatos bello cives paratiſſimos eſſe ad dilapſarum facultatum reliquias reſtaurandis urbium, opidorum, vicorum, templorumque ruinis conſecrandas, quam primum aliqua pacis & ab hoſte libertatis ſpes adparet.

Deinde præteritorum temporum, quibus uti omnes in genere Chriſti ſectatores, ita præſertim Viri Eccleſiaſtici miſere vixerant, diligens recordatio non poterat non in hominibus opulentis liberalem excitare commiſerationem, qua commoti bene facerent iis, qui tot ac tanta mala, tamque diu pro nomine Jeſu toleraverant: quique adhuc pauperem vitam agebant. §. 106. *Recordatio præteritorum temporum.*

Acceſſit tertio præclariſſima opinio, qua imbuebantur ipſorum animi de opibus largiter in ſinum Eccleſiæ effuſis. Nempe apex pietatis habebatur charitas; & quis charitate dignior ſancta matre, Eccleſia, §. 107. *Præclara opinio de liberalitatis ſanctitate.*

 hujus-

hujusque primogenitis filiis, Clericis & Monachis? Rogabantur, exigebantur, urgebantur *opera bona*: & ne fallere, auguſtum hoc, ſuave hoc nomen non conveniebat niſi largitionibus, ſive per vitam ſive poſt mortem factis. Quis obſecro tam eſt ſegnis & ignavus, ut operandum eſſe neget? quis tam malus, ut contendat, non eſſe operandum bene? At manum infer ſacco, numos eroga, fac teſtamentum petitoribus utile: jam operaris bene, melius ſi donas plura, optime, ſi aut vivus aut mortuus das omnia. Hæc illorum temporum doctrina, opinio, religio. *Salvian.* l. 1. de avarit. n. 23. graviter & ſapienter, *Non bonis ſpebus innititur qui ad hoc tantum peccat in vita, ut peccatorum molem redimat in morte, & ideo ſe evaſurum putat, non quia bonus ſed quia dives ſit. quaſi vero Deus non vitam quærat hominum, ſed pecuniam, atque a*

cun-

cunctis malorum redimendorum ſpe male agentibus accipere ſolos pro criminibus numos velit, & corruptorum judicum more argentum exigat, ut peccata vendat. Et num. 29. *cum offert quiſpiam Deo facultates ſuas; non offerat quaſi præſumtione donantis, ſed quaſi humilitate ſolventis; nec abſolvere ſe peccata ſua credat, ſed allevare; nec offerat cum redemtionis fiducia, ſed cum placationis officio; nec quaſi debitum totum reddens, ſed quaſi vel parvum de magno reddere cupiens, quia etiamſi tradat quod habet pro modo rerum, non reddit quod debet pro magnitudine peccatorum.*

Et quam non ſpem de fructibus liberalitatis conceperant? Dum vivimus, eſt pulcrum digito monſtrari, & dicier, hic eſt! Hic ille, qui religionem ſtabilit, Eccleſiam conſervat, Eccleſiæ miniſtros alit! hic ille, qui templa fundat, Monaſteria in- §. 108. *& militate.*

inſtituit., tuetur, ditat. Aſt glorioſius, poſt mortem legi in faſtis, laudari pro concione, celebrari annalibus. Beatius, memorari inter Sanctos, inter Sanctiſſimos: mereri vitam, portare laureolam. Sed miſera anima! quî mereberis vitam, ubi portabis laureolam? Angeris in purgatorio, aut torqueberis apud inferos. Da numos, dita ſacerdotes, macta reditibus Monachos, & effugies gehennam: in purgatorio non manebis, inde evocaberis, educeris, extraheris catena argentea, fune aureo. Dum manes, juvaberis ſacrificiis, reficieris precibus, exhilaraberis cantu. Obſcurus, triſtis, ingratus ille locus, ô anima, ſed eo tibi abeundum. Da igitur quod habes, da cito, da libenter; ſi multum, omnia: ſi nihil habes, cura ut habeas, eme libertatem, aut captivitatis clementiam! Hæc illorum temporum ſpes, hæc deſperatio!

Quarto, poſtquam Clerici Mona-

nachique in honore eſſe, & gratia atque auctoritate florere inceperunt, plurimi & ſtemmatis nobilitate illuſtres, & ab opibus largiter inſtructi, ſive ipſi hoc vitæ genus ſunt amplexi, ſive ad illud amplectendum fratres, filios aut propinquos induxerunt, partemque ſubſtantiarum Eccleſiæ, vel Collegio, cui novum obtigit membrum, una attulerunt, nam vacuis ad loca ſancta manibus accedere non licebat. Atque hæc omnia tam ſunt in vulgus nota, ut confirmare exemplis ex hiſtoriarum monumentis ſupervacaneum exiſtimem. §. 109. *Amor vitæ Clericæ vel Monaſticæ.*

Quod ſi Romano Catholici Doctores ea, quæ uſque huc diſſeruimus, aliaque plura, quæ congeri huc poſſent, diligentius ſecum perpenderent, forſitan de largitionibus, quæ Eccleſiæ fiunt, porro non tam auguſte ſentirent, atque ſentiunt. Nam criminantur ſanctam doctrinam noſtram eſſe falſam mendacemque, quia populum ad præſtan- §. 110. *Calumnia & gloriatio Romanenſium;*

da

Google

da charitatis opera, ad dandam liberaliter ſtipem, ad facultates Eccleſiæ donandas teſtamentove legandas, aut plane non excitet, aut non efficaciter ſatis commoveat: ipſorummet contra laudant deprædicantque religionem ceu bonis operibus fecundiſſimam, ea ſc. ſectari ſe & tenere placita, quæ veteres Chriſtianos ad edenda tot ſanctæ liberalitatis monumenta, ad donationes, ad teſtamenta Ordinibus ſacris perſoniſque Eccleſiaſticis utilia, templis extruendis vel reparandis neceſſaria, vi ſalutari adegerint: hisce ſe Patribus erga Deum munificis ſuccedere filios non degeneres: inditam natura humanis mentibus cupiditatem; terreſtres divitias poſſidendi, acquirendi, augendi, retinendique: quare divinam ſine dubio eſſe doctrinam, quæ opum amorem ex iis valeat excutere, operaque beneficentiæ, difficillima alias & noſtris deſideriis maxime inimica, tam præſtitu facilia reddat.

Sed

Sed homines iſti non aliter debla- §. III. *Repreſſa.*
terant, quam ſi cum ſtupidis bardiſque agerent, qui neque facta ſciant, neque naturam rerum intelligant, neque de iis judicare ex ſuis cauſſis poſſint. Quid enim? tamne eſt difficile opus? tamne excellenter ſanctum, cedere bonis, quibus vel non opus habes, vel uti amplius nequis? & cedere iis, qui in vita obſident tuas vias, lectum circumdant, animum fatigant, poſt mortem vero nomini tuo immortalitatem, corpori pompam; & animæ requietem promittunt: & cedere, quum officia erga Deum, erga alios homines, erga te ipſum neglexiſti: & cedere, ut hoc pretio impietatem tuam compenſes, hoc ſacrificio ſalutem redimas, hoc munere peccata expies? Quaſi vero magnus & ſanctus & juſtus noſter Deus cultum ſibi debitum pecunia venderet, quaſi requiſitam a nobis vitæ puritatem cum diſtributione facultatum commu-

mutaret! Quaſi bonorum jam jam relinquendorum donatio, ſanctitati cogitationum; divinitati deſideriorum affectuumque, fervori precum, luci intellectus, amori veritatis, caſtitati corporis, innocentiæ manuum, aliisque virtutibus Chriſtianis æquipolleret!

§. 112. *Fontes liberalitatis Veterum.* Contemnimus facile illorum iniquitatem, qui calumnientur, ita de laudibus piæ beneficentiæ deteri, & charitatis opera vel diſſuaderi omnino, vel non pro dignitate commendari. At enim puto, tanto hæc a me rectius diſputari, quanto mihi eſt perſpectius, Veterum eheu ſæpiſſime liberalitatem non alio de fonte, niſi de ſuperſtitione, ignorantia & impietate manaſſe, ſiquidem parci alias & infrequentes Dei cultores omnibus ſe boni Chriſtiani partibus rite eſſe defunctos, animæque ſaluti bene conſuluiſſe, ſive ex impietate ſive ex ſtolida inſcitia credebant, quando ſubſtantias, vi & frau-

fraude haud raro partas, in fine vitæ ad pias cauſſas legabant.

Tribus tantum verbis indicabo, qua ratione factum ſit, quod inter cæteros ordines noſtri Templarii (ad eos enim jam redit oratio mea) tam immenſas brevi divitias acquiſiverint. Atque heîc quidem revocare in memoriam convenit, quod ab initio monuimus, religioſæ iſti militiæ peregrinationes ſacras dediſſe originem, à Turcorum Arabumque incurſionibus vehementer intutas. Nam decepti ſuperſtitioſis erroribus homines inſano flagrabant amore, Palæſtinam viſitandi, & Hieroſolymis fuiſſe, ac ſepulcrum Domini ſalutaſſe in præcipuis capitibus ſanctitatis ponebant. Hinc mœſta illa boni Tyrenſis ad Chriſtum exclamatio, occaſione cladis anno 1145. Francis ad Mæandrum illatæ à Turcis: *quid eſt, Benedicte Domine Jeſu, quod populus iſte tibi tam devotus, pedum tuorum volens adorare veſtigia, lo-* §. 113. *Erga Templarios præſertim.*

ca venerabilia, quæ tua corporali conſecraſti præſentia, deoſculari cupiens, per manus eorum qui te oderunt, ruinam paſſus eſt? Vere judicia tua abyſſus multa, & non eſt qui poſſit ad ea. Tu enim ſolus es Domine, qui cuncta potes, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ. l. 16. c. 25. At Pater cœleſtis terram Filii ſui ſanguine olim maculatam, ejectis procul & longe lateque diſperſis veteribus incolis, tanti criminis reis, truculentæ ſubjecerat barbaræque genti, quæ incredibiles anguſto temporis intervallo non modo in Aſia & Africa, ſed & in Europa, circumlatis ubique victricibus armis, fecit progreſſus, utpote à Deo excitata & inſtructa ad puniendam Chriſtianorum impietatem. Quare & iis reſpiciebatur oculis, quibus reſpicere populum plerunque ſolemus ad exequenda Dei judicia paratum. Nemo de vita emendanda, de erroribus abjiciendis, de purgan-

do

do cultu & reſtauranda religione cogitare; hoſtem criminari, execrari omnes; Reges & Principes coire, milites ſcribere, fœdera pangere, numos corradere, in Palæſtinam ire, Monachi & quotquot ex alto verba ad cœtus faciebant, clamare: delendos Turcas, extinguendos Chriſtiani nominis oſores, terræ ſanctæ injuſtos dominatores, id eſt, abſcindendam Deo manum, qua caſtigare ipſos volebat. Succeſſum ineptorum pariter & improborum conſiliorum non dicam: ſed ita quum fuerint infelici illo ævo conſtituti Chriſtianorum, præſertim Latinorum animi, quis eos mirabitur ſtupendis auxiſſe divitiis milites, qui ad Saracenorum excidium, locorumque Sanctorum defenſionem peculiari ſe voto adſtrinxerant? Adde, Templariorum ordini Principes, Comites, alioſque primariæ nobilitatis viros ſeſe aggregaſſe, & quo viverent commodius, hoſtique bellum facerent vi majore,

ſimul opes ſuas in ærarium eorum intuliſſe: Balduinum IV. Gazam urbem antiquiſſimam, ſed penitus derelictam reædificaſſe, & fratribus Templariis cuſtodiendam inhabitandamque conceſſiſſe, tradit *Blond.* dec. II. l. 5. ad ann. 1143. *Uterque hic ordo*, Templariorum & Hoſpitaliorum *brevi locuples beatusque factus, contribuentibus certatim toto terrarum orbe Regibus Ducibusque agros opidaque.* Paul. Æmyl. in Ludov. VII.

§. 114. *Ludovicus VII. Templariorum fautor, & Philippus II.* Ludovicus VII. Galliarum Rex eminuit inter eos, qui beneficiis Templarios cumulavere, ſicuti ex datis ad ipſum à Magiſtro & Fratribus Ordinis epiſtolis liquido adparet. Unius principium heîc inſerere juvat: *Ludovico Dei Gratia inclito & venerabili Regi Francorum, Domino ſuo Kariſſimo, Bertr. de Blancafort, eadem gratia militiæ Templi Magiſter dictus, de regno ad regnum feliciter transferri, Quot & quan-*

quanta nobis & prædeceſſoribus noſtris de munificentiæ veſtræ largitate, collata ſunt beneficia, ſi per ſingula perſequi temptabimus, nec littera poterit, nec lingua ſufficere. Nam cum ab ineunte ætate veſtra liberalitas circa domus noſtræ propagationem laborioſa devotione ſtuduerit, adhuc, Deo gratias, in eodem tenore ſuo perdurat, Deo propitio & vita comite in poſterum duratura. Et ut retroacta tempora replicemus, raro vel nunquam invenietur ſancta devotio deſtitiſſe, quin ſemper aut ſua nobis propenſius ingereret, aut aliena benigni ſui favoris adſertione noſtris uſibus applicaret. Certe æſtimavit noſtros Equites tanti, ut ſequeſtros in re controverſa, eaque vehementer ardua, habere voluerit. *Paul. Æmyl.* in Ludov. VII. *Convenerat etiam inter Francos Angloſque, ut Giſortium neutris pareret; id Templariorum aliquis velut ſequeſter fi-*

duciariusve haberet, quoad de controverſia diligentius caveretur ſtatuereturque. Henricus Rex Templariorum ornatu ſuſcepto, Giſortium ingreſſus, ſeque Templarium ferens, præfectum præſidiumque opido impoſuiſſe à quibusdam traditur. Liceat hac occaſione memorare, Templarii habitum plus profuiſſe Henrico Patri quam Richardo filio & ſucceſſori: is enim per Dalmatiam & Germaniam è Palæſtinâ in Angliam rediturus inter Templarios itineris comites, & ipſe Templarii habitum induit quidem, ſed annulo proditus à Leopoldo Auſtriæ duce captivus fuit detentus, *P. Æmyl.* in Philip. II.

§. 115. *Ingens iis cedit ſumma ex teſtamento Philip.* II. Anno 1147. Ludovicus in Syriam abiit ad bellandum contra Ægyptios ac Saracenos; & abſens quoque terram ſanctam cordi habuit, quod docent ſcriptæ à Fulcherio, militiæ templi ſocio, ad Ludovicum literæ, in quibus hæc occurrunt verba: *Mihi autem famulo veſtro non credatis*

tis elapſum, quod ab ore veſtro, cum à vobis recederem, accepiſſe me gaudeo. Dixiſtis enim, ut ex parte veſtrâ loca ſancta ſalutarem, & in viſitando ea memoriam veſtri facerem in ſingulis. Cujus rei non immemor hunc annulum, quem vobis mitto, per ſacra loca circumferens & ſingulis applicans, in memoriam veſtri ſingulis impoſui: pro cujus reverentia precor, ut annulum cuſtodiatis & habeatis cariorem. Philippus II. Ludovici filius & ſucceſſor, moriens quadraginta millia librarum argenti Magiſtro templi Hieroſolymitani ex teſtamento reliquit, *Platina* in Honor. III. Confirmat rem Paul. Æmyl. licet paulo aliter narret. *Brenno Regi, & duobus Magiſtris Templariorum Hoſpitaliumque ſexagena millia aureorum ad ſacri belli neceſſitates moriens legavit.*

Poſtquam vero divitias regales impetraſſent Templarii, humano more, quo arridentis fortunæ blan- *§. 116. Templariorum ſu-*

perbia, & ditias inſolenter plerunque accipimus, *corruptio.* criſtam erexere, ob ſuperbiam & tyrannidem fere ab omnibus hiſtoricis reprehenſi: Wilh. Tyr. l. 12. c. 7. *Cum diu in honeſto ſe conſervaſſent propoſito, profeſſioni ſuæ ſatis prudenter facientes, neglecta humilitate, quæ omnium virtutum cuſtos eſſe dinoſcitur, & in imo ſponte ſedens, non habet unde caſum patiatur, domino Patriarchæ Hieroſolymitano, à quo & ordinis inſtitutionem, & prima beneficia ſuſceperant, ſe ſubtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum prædeceſſores eidem exhibuerant, denegantes.* Matth. Paris in Chron. *Florente igitur ordine, & in humilitate proſperante, invidit humanæ proſperitatis inimicus, & quæ huic virtuti videntur adverſantia, ſuperſeminavit, vid. ſuperbiæ genimina, quæ ſolet inobedientiam cum ſchiſmatibus, & multis aliis malis generare. - - - Rerum affluentia in-*

inſolentiam generante, jam ſuæ profeſſionis obliti, humilitate neglecta, à Domini Patriarchæ, à quo Ordinis inſtitutionem, manſionem, protectionem & omnia prima beneficia ſuſceperant, ſe ſubtraxerunt obedientia; interveniente opima retributione, verſus Papam exemti, ut magis gloriarentur Libertini. Unde hoc cognito Patriarcha conqueſtus eſt, dicens: Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Richardus ſane, qui in Anglia circa annum 1200. regnavit, quum à ſacerdote Sulcone admoneretur, tres filias ſuas, ſuperbiam, avaritiam & luxuriam, nuptui daret, ne gravius à Deo puniretur, convocatis regni proceribus dixit: *Do ſuperbiam Templariis & Hoſpitalariis, avaritiam Monachis, & luxuriam Eccleſiaſticis Prælatis cum clero.* Girald. Quin & omnis generis ſceleribus ſeſe contaminarunt, unde graviſſima Fratris Humberti in

eos extat invectiva. *Quid prodeſt vincere Saracenos, & vinci à vitiis? Auguſt. turpe eſt, ut quem non vincit homo, vincat libido, & obruatur vitio, qui non vincitur ferro. O quot & quanti ſunt, qui glorioſe triumphaverunt & frequenter de Saracenis, poſt hujusmodi victorias victi à vitiis ad inferos deſcenderunt?* tom. xxv. bibl. Patr.

§. 117. *Quod quidem commune malum in Clero & antiquum.*

Propenſionem in Clericis ad ſuperbiam multi obſervarunt. Jam à primo pacatæ rei Chriſtianæ ævo. *Sulpic. Sever.* dial. l. c. 21. *quis noſtrum eſt, quem ſi unus homunculus humilis ſalutaverit, aut fatuis atque adulantibus verbis femina una laudaverit, non continuo elatus ſit ſuperbia, non ſtatim elatus ſit vanitate? ut etiamſi non habeat conſcientiam ſanctitatis, tamen quia vel ſtultorum adulatione, aut fortaſſis errore ſanctus eſſe dicatur, ſanctiſſimum ſe putabit.* Quid igitur miri, viros militares, nobili genere

nere ortos, Regibus, ac principibus familiares, gloria, laude & divitiis cumulatos, ut erant Templarii, altos concepiſſe ſpiritus?

Faſtum tamen involucro modeſtiæ texerunt, unde Magiſtri eorum in literarum initio ſe *pauperis militiæ templi Magiſtros*, item *miniſtros humiles* vocavere, imitati in eo Gregorium I. Epiſcopum Romanum, qui ægre ferens, Papas Conſtantinopolitanos regno inhiare Eccleſiaſtico, quod ipſius judicio Romanis debebatur, *ſervus ſervorum* audire voluit, unde & ejus ſucceſſores iſto ſe titulo inſigniunt. En exordium aliquot Epiſtolarum quas Magiſtri militiæ templi ad diverſi ordinis viros ſcripſere. *Frater P. de Monte acuto militum templi Magiſter humilis*. M. Paris in Henr. III. *Frater Hermannus Petragorinus Dei gratia pauperis militiæ templi Magiſter humilis*, ibid. p. 542. Idem ſe nominavit, *pauperis mi-*

§. 118. *Aſtute tamen tegebant Magiſtri Templariorum.*

militum templi miniſtrum humilem, p. 615. Et hiſt. Jeroſolym. *B. de Blancesford divina gratia pauperis militiæ templi Magiſter*, p. 1176. *pauperis militiæ templi miniſter humilis*. p. 1178. *Guido Fulcherii domorum pauperis militiæ templi procurator indignus*, ad Ludovicum Galliarum Regem, p. 1181. *divina gratia militiæ templi conſervus humilis*, p. 1183.

§. 119. *Tempus defectionis à Patriarcha Hieroſolymitano.* De tempore, quo ſe jurisdictioni Patriarchæ Hieroſolymitani exemerint, & Pontifici Romano ſubjecerint, certi mihi nihil conſtat, niſi quod jam ætate Wilhelmi Tyrii, qui hiſtoriam ſuam ad annum 1183. perduxit, Patriarchæ Hieroſolymitani jugum excuſſerint, uti ex ipſius verbis paulo ante citatis patet. Balæus in Gelaſio II. *Templariorum ſectam (ut habet Matthæus Pariſius) à Hieroſolymorum Patriarchæ obedientia exemit, ita* (inquit) *ut more Cham maledicti Filii Noë illum*

lum contemnerent, qui eos primum fundaverat. Sed ea verba nuſquam in Matthæo Paris invenio. *Wolfius* in Memorab. id tribuit Gelaſii ſucceſſori Calixto II. Remis anno 1119. Concilium celebranti. Verum Tyrius & Matthæus Paris teſtantur, Templarios diu in honeſto perſtitiſſe propoſito, Gelaſii autem Calixtique II. ætate prima & tenuiſſima Ordo ille habuit initia, in Trecenſi demum Synodo anno 1128. confirmatus. Obiter quoque heîc moneo, falli viros doctos, qui corruptæ vitæ Templariorum teſtem allegant Bernhardum Abbatem; quandoquidem illius querela de luxu & faſtu militum non de Templariis eſt mota, ſed de militibus reliquis, quibus emendandi moris mali exemplum novum iſtud & religioſum militum genus ob oculos poſuit. *Carolus du Freſne* in Gloſſ. dubitanter tamen dicit, ſub Thoma de Monte Acuto, Ordinis magiſtro, Honorium III.

qui

qui anno 1216. Innocentio III. in ſede Romana ſucceſſit, Templarios ab Patriarchæ Hieroſ. & Epiſcoporum juriſdictione exemiſſe, uti legatur in privilegiis Ord. Hoſpitaliorum.

§. 120. *Monachi Epiſcopis ſubtracti.*

Non poſſumus non hac occaſione recordari ambitionis Romanorum Pontificum, qua incitati alienam invadere juriſdictionem, & ſacros Ordines à debita præfectis obedientia eximere cordi ſemper habuere. Ita Monachi Epiſcopis primum fuere ſubjecti pluriumConciliorum conſtitutionibus. Nam Synodus Chalcedonenſis contra Eutychen anno 451. coacta, τοὺς καθ᾽ ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας, ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τὴν ἡσυχίαν ἀσπάζεσθαι, jubet can. IV. ab Epiſcopis enim ad res agendas adhibiti evaſere πολυπράγμονες, ipſorumque Epiſcoporum contemſere auctoritatem. Concil. Aurelian. I. can. VIII. *Abbates Epiſcopis, Monachi Abbatibus ſint ſubjecti.* Et Aurelianenſe II. can. XXI. *Ab-*

Abbates qui Epiſcoporum præcepta deſpiciunt, ad communionem ne admittantur, niſi contumaciam humilitate ſuſcepta deponant. Sed poſtea nacti facultatem eligendi Abbatis, paulatim ſe Epiſcoporum, à quibus in ordinem redigi nolebant, poteſtati ſubduxere, & Bernhardi præſertim ætate, data pecunia libertatem à Papis Romanis emerunt, viciſſim devotiſſimam ipſis obedientiam ſpondentes.

Superbiæ Templarii adjunxere violentiam & latrocinia. Tyrius: *Eccleſiis Dei, eis decimas & primitias ſubtrahentes, & eorum indebite turbando poſſeſſiones, facti ſunt valde moleſti.* Matth. Paris in Chron. *Eccleſiis Dei decimas privilegiis adquiſitis armati ſubtrahentes facti ſunt multis valde moleſti.* Privilegia hæc impetravere à Romanis Epiſcopis: nam Alexander III. eos cum Ciſtercienſibus & Hoſpitalariis exemit decimis, ne illas, quibus ſub-

§. 121. *Templariorum violentia Papis non ingrata.*

ſubjiciebantur, Epiſcopis ſolvere cogerentur, hortatus ſimul omnes, ut ipſorum inopiæ ſubvenirent. Et Innocentius III. confirmavit ſententiam Archi-Epiſcopi Senonenſis, qui Templariis Pariſienſibus prebendam Decano S. Quintini ab iis ereptam adjudicavit, *Baron.* ad ann. 1201. §. 5. Leonem autem Armeniæ Regem Templariis infeſtum monuit idem Innocentius, ne bellatoribus pro cruce Chriſti quippiam damni inferret, ſed quicquid abſtuliſſet, reſtitueret; ad ann. 1213. §. 14. Et Gregor. IX. cum Friderico II. Imperatore, qui Templariorum Hoſpitaliorumque in Siculo & Neapolitano regno poſſeſſiones occupaverat, pacem inire noluit, niſi ea præter cæteras lege, ut Templariis & Hoſpitalariis, quorum armis & viribus terra ſancta defenderetur, bona in Sicilia & Apulia ablata reſtitueret, & à vexatione illorum abſtineret, *Baron.* ad ann. 1228. n. 2.

1230.

1230. n. 1. & 1232. n. 3. Anno autem 1231. quum Fridericus bona omnia Templariis & Hoſpitalariis in regno Siciliæ erepta, necdum reſtituiſſet: quinimo eos domiciliis propriis ejeciſſet, illi autem ſedem Apoſtolicam interpellantes, auxilia à Gregorio Pontifice poſtulaſſent: miſit ad eum Gregorius Mutinenſem Epiſcopum, deinde & bis ei ſcripſit, admonens: ut eis ablata omnia reſtitueret, vel ſaltem in manibus magiſtri militum Teutonicorum tantiſper deponeret, donec de jure decerneretur, quis, quid ex æquo & juſto habere deberet. *Baron.* ad cit. ann. n. 3.

§. 122. *Cædes.*

Graſſari cædibus mature inceperunt. Matth. Paris ad ann. 1149. *Miſit* (Aſſiſinorum Magiſter) *unum ex fratribus ſuis, virum providum & diſcretum ad Regem Hieroſolymorum Baldewinum, ut per ejus conſilium baptiſmatis ſuſciperet ſacramentum: ſed diabolus Eccleſiæ*

 ſem-

ſemper invidens incrementis, hoc fieri non permiſit. Nam legatus populi memorati, antequam ad Regem perveniret, à fratre quodam de militia templi, in magnum fuit Eccleſiæ ſcandalum interemtus, per quod negotium pie inchoatum, uſque in diem hodiernum dilationem accepit. Wilh. Tyr. l. 20. c. 31, 32. factum id refert ad tempora Amalrici V. Hieroſolymorum Regis, qui obiit anno 1173. additque: petiiſſe per legatum Aſſiſinos, fratres militiæ Templi, qui poſſidebant caſtella regioni eorum contermina, tributum 2000. aureorum ſingulis annis acceptum remitterent, & fraternam deinceps charitatem ſervarent: Regem porro Amalricum, quia Otto de S. Amando, Templi Magiſter, renuebat pro ſceleris magnitudine in Galtherum, qui id admiſerat, animadvertere, conſenſu Procerum Sidone è Templo reum abripuiſſe, & Tyri in carcerem compegiſſe: cauſ-

ſam

ſam cum ceteris Regibus communicaturum niſi morte præventus fuiſſet.

Lites & jurgia cum Regibus & Principibus maluerunt augere quam componere. Anno 1277. *inter Principem Antiochenum & Templarios diſcordia nimia oritur: nam homines Principis familiaribus templi tædia ingerebant; & ipſemet Princeps, tanquam juvenis & inſolens contra ipſos quoque fratres convitia proferebat: læſi querelas deferunt: ipſique confratres, & Tripolitanus Epiſcopus, non quæ pacis, ſed quæ diſcordiæ ſeminant.* Mox templi Magiſter Robertus armis decernere ſtatuit, ſed copias contra Boamundum, Principem Antiochenum miſſas naufragio amiſit, eodem adhuc anno mortuus, *Marin. Sanut Torſell.* l. 3. part. 12. cap. 17. Præcedente anno Templarii civitatem Regi Cyprio ſubjectam occupavere, in qua cum nonnulli adven- §. 123. *Jurgia cum Principibus.*

tum Regis, ordinandarum rerum gratia, deſiderarent, dixere palam: *Si vult venire, veniat: ſin autem, non curamus.* Id. l. c. cap. 14.

§. 124. *Præcipue cum hoſpitalibus.* Singulariter erga Hoſpitales, à quibus in paupere initio beneficiis plurimis erant ornati, æmulatione, & invidia exarſcere. *Petrus Walſingham* in hypodeug. Neuſtr. *Ex reliquiis hoſpitaliorum in cibis & armis ſuſtentati, ad tantam rerum opulentiam pervenerant, ut filia ditata matrem videretur ſupergredi & ſuffocare.* M. Paris ad ann. 1241. *Recedente autem circa idem tempus peregrinorum multitudine de terra ſancta, poſt Comitis Richardi receſſum, Templarii ſoli facta Comitis non acceptantes, imo ſtimulis invidiæ exagitati, obloquendo, detrahendo, cachinnando deridebant, & treugas ab eo acceptas impudenter confringentes, Hoſpitalarios qui dictas pacem & treugas acceptarunt, & inviolabiliter con-*

conſervarunt, acerbius infeſtabant, & damnificatos uſque ad obſidionem in Acon detrudebant, ut non liceret eis in alimentis providere, nec etiam mortuos ſuos à domibus ſuis, quibus obſeſſi recludebantur, efferre ſepeliendos. Fugabant etiam & effugabant ipſi Templarii in contumeliam Imperatoris, fratres Eccleſiæ S. Mariæ Theutonicorum, vix paucis, quos habuerunt amicos, & Eccleſiæ miniſtris relictis. unde ipſi ad pedes Imperatoris querimoniam gravem ſuper hoc reponentes, & alios Chriſtianorum magnates, tam Eccleſiaſticas quam laicas perſonas confugerunt. unde grave ſcandalum eſt exortum, ut qui tot ſaginantur reditibus, ad Saracenos potenter expugnandos, vires & virus in Chriſtianos, imo fratres ſuos, impie convertebant, ut iram Dei ſibi gravius procurarent. Proinde Comes à terra ſancta receſſurus, quaſi horum præſa-

gus noluit Aſcalonem, vel theſaurum quem ibi dimiſit ad perficienda quædam in eodem caſtro, ſuperbiæ Templariorum commendare. p. 575. 576. Atque ad ann. 1243. *Templarii in terra ſancta Hoſpitalarios graviter infeſtantes obſidebant, ita ut domo ſua, quæ eſt in Acon, obſeſſis non licebat mortuorum corpora efferre ſepelienda, inſuper ipſi Templarii fratres Theutonicorum Eccleſiæ S. Mariæ, in contumeliam Imperatoris, exturbatos à finibus ſuis propulſarunt, iram Dei ſuper capita ſua cumulantes, & inimicos crucis extollentes*. pag. 604. Id. ad ann. 1249. *Rex interim Francorum, ſano ac ſancto fretus conſilio, multos magnates, tam in Cypro quam in aliis Chriſtianorum climatibus diſcordes, & Templarios & & Hoſpitalarios plenius pacificavit, ut ſecurius nullis poſt terga relictis offendiculis, iter arriperet inchoatum*, p. 765. Nec defuerunt Hoſpita-

ſpitalarii ſumendæ de Templariis vindictæ ubi ſe occaſio obtulit. *Paris* ad ann. 1259. *Tempore quoque ſub eodem, Templarii fratres de S. Lazaro, & S. Thoma, Aconenſes Hoſpitalarii, etiam ſui comprovinciales, nec non & alii, veluti Januenſes & Piſani, in terra S. diſſidentes, quos habere conſuevit legitimos Eccleſia defenſores, pacis tunc & ſui deſtructores, nec non cruentiſſimi ejusdem exſtiterunt exterminatores. Hoſpitalarii namque, diſſenſione quadam inter eos lethaliter ſuſcitata, unanimiter in Templarios inſurgentes, quum maxima ſui parte proſtrata eosdem, ut dicitur, funditus peremerunt: ita ut vix uno ex parte Templariorum, quampluriimis vero ex Hoſpitalariis, ut dicitur ſuperſtitibus nunquam inter Chriſtianos, maxime religioſos talis aut tantus miſerabilis fuiſſe dicebatur interitus*, p. 987. Quare Europæi Templarii in Concilio con-

gregati de Hoſpitalariis invicem nova clade afficiendis deliberarunt equidem, ſed temporis & loci intervallo paulatim ira ipſorum deferbuit.

§. 125. *Expeditiones bellicæ.* Bellicas Templariorum expeditiones adverſus Turcos, Arabes, Saracenos Ægyptiosque ſuſceptas, felices interdum, ſæpius infelices ex hiſtoriis nunc recenſere ordo jubet. Anno 1133. *interfecti ſunt omnes milites templi Domini*, Matth. Paris in Henrico I. credo à Sanguino Turcorum Principe bellicoſiſſimo, qui Fulconem Hieroſolymorum Regem prælio vicit, *Wilh. Tyr.* l. 14. c. 25. quanquam Hugo, primus Templi Magiſter, ad Transmarinos Principes implorandi auxilii cauſſa miſſus & poſt Synodum Trecenſem anno 1128. in Palæſtinam reverſus, vivente adhuc Balduino Rege, ingentem peditum equitumque numerum ſuppetias adduxerat, *Tyr.* l. 13. c. 26. *Anno Domini* 1152. *Rex Lu-*

Ludovicus exercitum parat ad eundum contra Damaſcum, congregataque Francorum militia Templariorum; ac Hieroſolymitarum, Damaſcum obſidet. ſed repulſus eſt à Damaſcenis cum adjutorio Babyloniorum, ſicque Hieroſolymam redit non cum honore. Ptolem. Lucens. in annalibus. *Marin. Sanut. Torſell.* l. 3. part. 6. c. 14. Laudatus modo *Tyrius* tradit, Robertum Burgundionem Magiſtrum militiæ templi cum fratribus egiſſe ad Tecuam Turcas in fugam, ſed poſtea prædæ inhiantes, à Turcis in aciem reverſis magnam accepiſſe ſtragem, occiſo inter ceteros viro eximio fratre militiæ templi Odone de monte Falconis, *l.* 15. *c.* 6. Accidit hoc anno 1133. at circa annum 1148. Latini reparatum ex parte opidum Gazæ fratribus militiæ templi cuſtodiendum tradiderunt, Ægyptios ruinarum incolas per univerſam regionem hoſtiliter graſſari ſolitos repreſſuris,

l. 17. c. 12. Anno 1153. interfuere obſidioni Aſcalonæ, ſed avaritiam ſuam, Regi Balduino III. totique Chriſtiano exercitui perniciofam, morte vel captivitate expiarunt. Nam *Magiſter militiæ Templi, Bernhardus de Trenellape* (l. 17. c. 21. à Tyrio vocatur quoque Bernhardus de Tremelay) *cum fratribus ſuis multo ante prævenientes, aditum occupaverunt, neminem niſi de ſuis intrare permittentes: eos autem hac intentione dicebantur arcere, quatenus primi ingredientes ſpolia majora & uberiores manubias obtinerent.* Quare obſeſſi videntes eorum, qui in urbem perruperant, paucitatem, animos reſumunt, interceptosque Templarios obtruncant, Wilh. Tyr. l. 17. c. 27. Anno 1155. aliud magis impium avaritiæ ſpecimen ediderunt Noſeradinum Chriſtiana ſacra ſuſcepturum ut vinculis ſolveretur, Ægyptiis pro LX. millibus aureorum vendentes, l. 18. c. 9. Captus

ptus erat illuſtris juvenis prælio, cujus felix exitus Templariorum maxime fortitudini à *Paulo Æmyl.* tribuitur. *Exin Paneaden mota caſtra: Cum Norradino Latini atrox prælium inire. Templariorum virtus excellens fuit. Gloriam hoſte fuſo; fugato, caſtris exuto ſibi peperere. - - - Cum in tuto ſibi eſſe viderentur* (Ægyptii) *inſidiis Templariorum nunquam conquieſcentium excepti: ceteri occiſi. Noſedorinus vivus cum magna gemmarum margaritarumque vi captus, quem paulo poſt Ægyptii ingenti auri pondere de Templariis, redemere, ac exquiſitiſſima ſupplicia de eo ſumſere. adverſo apud noſtros Templariorum rumore, quod is juvenis ſe jam catechumenum profeſſus diceretur.* in Ludov. VII. Viciſſim Magiſtrum ipſorum *Burtrandum de Blanquefort* captivum duxit Saladinus, l. 18. c. 14. *Tyr.* anno demum 1157. Manuele Orientali

tali Imperatore procurante, libertati reſtitutum. Anno proximè ſecuto 1158. Saraceni Balduinum III. qui victorem exercitum cito nimis dimiſerat, imparatum agreſſi multos trucidarunt ex militibus templi, qui ſoli cum eo remanſerant, *Chron. Sigeb.*

§. 126. *Supplicium ſumtum de Templar.* Anno 1167. *Præſidium, ſpelunca inexpugnabilis, ultra Jordanem in finibus Arabiæ ſitum, fratrum militiæ templi diligentiæ deputatum, Siracono,* Ægyptio Imperatori, *traditur: ad quam eripiendam dominus Rex,* Amalricus, *properans cum multa militia, dum ſupra Jordanem caſtra metatus eſſet, recepit nuncium quod præſidium in manus jam devenerat inimicorum: quo audito Dominus Rex confuſus & ira ſuccenſus, de fratribus templi, qui hoſtibus caſtrum tradiderant patibulo fecit ſuſpendi circa duodecim.* Tyr. l. 19. c. 11. Sed paulo poſt Rex Hieroſolymitanus per legatos, quos

quos inter erat Gaufridus Fulcherii Templarius, cum Ægypti Calipha egit de Siracono Tyranno Ægypti finibus ejiciendo, acceptis quadringentis aureorum millibus. Pactis tamen Amalricus non diu ſtetit: nam theſauris Ægypti perfide inhians, inſtinctu Emmanuelis Conſtantinopolitani Imperatoris, ſoceri, Ægyptum invaſit. *Fratres autem militiæ templi, eidem ſe ſubducentes facto, aut quia eis contra conſcientiam ſuam videbatur; aut quia Magiſter æmulæ domus, hujus rei autor & princeps videbatur, vires penitus miniſtrare, aut Regem ſequi negaverunt. Durum enim videbatur eis, amico regno, & de noſtra fide præſumenti, contra tenorem pactorum, & contra juris religionem, immeritis & fidem ſervantibus bellum indicere.* Tyr. l. 20. c. 5.

Idem Amalricus anno regni ſeptimo, æræ vulgaris 1171. *Philippum* §. 127. *Bonis fruſtrantur in Cilicia.*

pum Neapolitanum, qui jam militiæ templi depoſuerat magiſtratum, per terras præmiſerat ad Conſtantinopolitanum Imperatorem, auxilii contra Saladinum rogandi gratia, c. 24. Sed præter Saladinum iis tum alius ingruit hoſtis, Armeniæ principis frater, qui *quicquid fratres militiæ templi in partibus habebant Ciliciæ, licet eorum frater aliquando fuiſſet, primis auſpiciis ſui principatus funditus abſtulit, tanto federe deinceps Noradino & Turcis conjunctus, quanto vix inter ſe fratres ſolent convenire*, c. 28.

§. 128. *Prælio vincunt Saladini copias.* Amalrico ſucceſſit Balduinus IV. qui anno regni quarto, Chriſti 1176. ſeptimo Cal. Decembris ſtipatus Odone de S. Amando Magiſtro militiæ templi & fratribus octoginta, præter cæterum exercitum non nimis numeroſum, inſignem de Turcis reportavit victoriam fuſis cæſisque ad Aſcalonem Saladini copiis, *Tyr.* l. 21. c. 22, 23. Sed belli alea poſt infelicius cecidit. Nam

Nam anno 1177. *Salahadinus contractis armatorum copiis Paleſtinam violenter aggreſſus, Admiralium Edeſſæ Manafaradinum cum ſeptem millibus Turcorum, qui terram ſacram depopularentur, præmiſit. Hic autem cum in partes Tyberiadis proceſſit (caſus) ſibi obvios Magiſtrum militiæ Templi Gerardum de Bideffordia, & Magiſtrum Haſpitalis Rogerum de Molendinis, illum quidem fugatum; iſtum vero interfectum inopino Marte confecit. In quo conflictu cum noſtrorum pauciſſimi ab immenſo concluderentur exercitu, inſigne quiddam & memoria dignum contigit. Nam quidam Templarius, officio miles, natione Turonius, nomine* Jakelinus de Maillaco *quadam virtute in ſe omnium provocabat inſultus, ceteris autem commilitonibus ſuis, qui quingenti æſtimabantur, vel captis vel interfectis belli totius impetum ſolus ſuſtinuit.* In-

§. 129. *Viciſſim vincuntur à Saladino.*

Interiit tamen à multitudine hoſtium ſuperatus, cum ingenti fortitudinis laude. *Fuere*, ſubdit autor noſter, *ut dicebatur, nonnulli, qui corpus viri jam exanimum pulvere ſuperjecto conſperſerunt; & ipſum pulverem ſuis imponentes verticibus, virtutem ex contactu hauſiſſe credebant. Quidam vero, ut fama ferebat, ardentius ceteris movebatur; & abſciſis viri genitalibus, ea tanquam in uſum gignendi reſervare diſpoſuit, ut vel mortua membra, ſi fieri poſſet, virtutis tantæ ſuſcitarent heredem. Hac ergo ſuorum victoria Saladinus impendio hilaratus, animum occupandi regni ſucenſum, ad majora intendit.* Hiſt. Hieroſ.

§. 130. *Crudeliſſime a Saladino tractantur.* Anno 1180. *Saladinus caſtro de Vado Jacob vi expugnato Templi milites ſerris medio diſſecuit, reliquos ſacerdotes capite damnavit:* Genebrard. in Chron. *Inito conflictu Chriſtianorum contra Salaadin ex utra-*

utraque parte multi mortui ſunt, plures tamen de Chriſtianis, & Magiſter templi captus eſt: quem cum Salaadin vellet reddere pro nepote ſuo quem Chriſtiani captum tenebant, Magiſter templi noluit (is erat Otto de S. Amando) *dicens, non eſſe conſuetudinem militum templi, ut aliqua redemtio daretur pro eis præter cingulum & cultellum, & ita in captione mortuus eſt.* Chron. Sigeb. *Lytrum. Templar.*

§. 131. *Cauſa cladis.* Cladis cauſſa rejicitur in Magiſtrum militiæ templi, Tyrio ſcribente: *Capti ſunt ibi de noſtris Odo de S. Amando, militiæ Templi Magiſter homo nequam, ſuperbus & arrogans, ſpiritum furoris habens in naribus, nec Deum timens, nec ad hominem habens reverentiam. hic juxta multorum aſſertionem, damni prædicti & perennis probri occaſionem dicitur dediſſe: qui eodem anno quo captus eſt, in vinculis & ſqualore carceris, nul-*

li lugendus dicitur obiiſſe, l. 21. c. 29. Saladinus victor mox expugnavit munitum caſtrum ad Jordanem in vado Jacobi cuſtodiæ fratrum militiæ templi commiſſum, præſidio omni occiſo aut capto, c. 30. in Tripolitana autem regione, factis licet inter Balduinum & Saladinum induciis, *fratres militiæ templi, in ſuis municipiis clauſi tenebantur, expectantes omni pene hora vallari obſidione, nec ſe congreſſionibus temere committere audebant*, l. 22. c. 2.

§. 132. *Clades Nova.* Anno 1184. *Magiſter militiæ templi* (Theodoricus vel Therricus appellabatur) *cum fratribus ſuis plusquam* LXX. *incaute egrediens; & Magiſter Hoſpitalis, qui cum fratribus ſuis decem, de Caſtro Belveir revertebatur à Colloquio Comitis Tripolitani, à Turchis incluſi ſunt juxta Caſale Roberti, & licet non amplius quam* CXX. *militibus ſociati eſſent, decem millibus Sa-*

Saracenorum viriliter reſtiterunt, ex eis plurimos proſternentes: ſed tandem pauci corripiuntur à pluribus, & trucidato Magiſtro Hoſpitalis cum pluribus, cæteri capiuntur; Magiſter vero templi cum paucis fuga elapſus eſt, Jacob. de Vitr. hiſtor. Hieroſ. Marin. Sanut. c. 94. Torſell. l. 3. part. 9. c. 4.

Anno 1187. Saladinus Calvariam obſidens Magiſtrum militiæ templi cum fratribus LX. multisque Chriſtianis interfecit, *Matth. Paris.* ejusdemque anni IV. & V. Non Jul. cum Chriſtianis prælium commiſit acerrimum *in primis acies templariorum congreditur, & demiſſis haſtis veloces equos urgens calcaribus Turcorum cuneos audacter irrumpit, quæ cum de hoſtibus ſtragem feciſſet innumeram, tamen recollecto agmine redeundi non habuit facultatem. nam undique denſis Turcorum vallata agminibus, tota fere ab ipſis intercepta eſt & retenta*, Friderici I. §. 133. *Hieroſolymas Chriſtiani amittunt.*

exped. Aſiat. poſt & Rex Guido ad ſolvendam Calvariæ obſidionem veniens, Rex Guido capitur cum cruce ſancta, populoque plurimo, numerus militum civiumque ingens gladiis interfectus, & Hieroſolymæ occupatæ. Nocte cladem hanc præcedente, in Patriarchæ tentorio, ubi erat crux, matutino officio obvenerat legenda hiſtoria de arca fœderis à Philiſthæis capta, unde percuſſi audientium animi. Evaſit quidem ex hac clade Theodoricus Magiſter militiæ templi, ſed ea tamen die ducentos & triginta de fratribus amiſit, *Matth. Paris* in Henrico II. ad ann. 1188. Autor Epitomes bellor. ſacror. teſtatur, cum Rege captum quoque fuiſſe Magiſtrum Hoſpitalis ac templi. Jacob de Vitr. hiſt. Jeroſ. c. 94. *Facta magna ſtrage cæſorum, Guido de Liſiniaco Rex Hieroſolymorum & Magiſter militiæ templi cum multis aliis tam majoris quam minoris ordinis in captivitate detenti*

tenti abierunt abſque fortitudine, ante faciem ſubſequentis. ut autem certis indiciis & evidentibus ſignis Dominum ſibi terribiliter offenſum agnoſcerent, & divinæ protectionis clypeum ab ipſis receſſiſſe non dubitarent, lignum ſalutiferæ crucis, quod die illo tenebroſo ſecum in prælio detulerunt, lamentabili infortunio amiſerunt. Saladinus autem exiſtimans Templariorum & Hoſpitaliorum ordines prorſus in partibus Orientalibus delere, quotquot ex ipſis capere potuit, decapitari præcepit. Cap. 95. *prædictus autem Salabadinus Aſcalonam revertens hac conditione civitatem recepit, quod Regem & Magiſtrum Templi, quos captivos tenebat, reſtitueret libertati.* Sed templi Magiſter prælio poſt cecidit Tyro obſeſſa à Saladino, cap 98.

Fœdam hanc Templariorum cladem dealbat *P. Æmylius* rubra martyrii gloria quam expetierint. *Cum* §. 134. *Mortem ultro expetunt.*

 Sa-

Saladinus continuo Templarios omnes præter Magiſtrum juſſiſſet occidi, certatim ſe quiſque noſtrorum Templarium profitebatur, & martyrii gloria de hoſte triumfabat. in Philipp. II.

§. 135. *Prodigia.* Ceterum urbis Hieroſolymorum jacturam notabilibus ſignis à Deo fuiſſe præmonſtratam Auctor idem graviter monet. *Extant*, ait *illius temporis æquales, authores, ſacerdotes fuiſſe flagitiis ſceleribusque obrutos: atque adeo ipſum Patriarcham neque caſte neque integre vitam egiſſe: cladem imminentem crebris horrendisque terræ tremoribus denunciatam: atroces ventos undique exortos: ſolem defeciſſe: grandinem frequentem inſtar ovi anſerini cœlo cecidiſſe: mare majore ſolito æſtu redundaſſe: regis cubicularium viſum ſibi per quietem videre pergrandem aquilam ſeptem jacula unguibus uncis geſtantem, copias Latinorum circumvolare, ac vocem huj-*

jusmodi humanam emittere: Væ Hieroſolymis. *Facilis fuit Barbaro de noſtris victoria quos vinci Numini cordi erant.* Ibid.

Anno 1188. die 4. Oct. poſt obſeſſam à Templariis, Hoſpitalariis, Anglis, Francis aliisque crucigeris militibus Acconem, commiſſum eſt prælium inter Saladinum & Guidonem ultimum Hieroſolymorum Regem, in quo *militia templi jam cuneos hoſtiles, cædi devota, perruperat: cumque longius fortunam ſecuti & animum Templarii proceſſiſſent, in eos ſubito irruunt oppidani* (Acconitæ) *& quanquam innumeri paucos opprimant, non ſine multa tamen ſuorum ſtrage triumphant. Ibi magiſter militiæ, Gerhardus, de Bidesfortia, cæſis occumbit,* hiſt. Jeroſol. p. 1165. Et Paulus Æmyl. in Philip. II. *Girardus Ridefordienſis Templariorum Magiſter, quæ virtus ejus ordinis erat, ut emori mallent in veſtigio, quam* §. 136. *Denuo vincuntur.*

illi procellæ hoſtive cædere : dum retinere partam jam victoriam contendit, piosque ad decus exemplo acuit, egregie pugnans, nec inultus interiit. Fame prius coactus erat, ut Saladino munimenta quædam traderet. *Hiſt. Jeroſ.* Ante prælium homo quidam profanus non erubuit impium hoc proferre effatum: *quæ potentia prævalebit? quæ multitudo reſiſtet? Dominus nec nobis nec adverſariis adjutor veniat, victoria in noſtra virtute conſiſtit.* Vox certe peſſima, & omnino damnabilis quæ in homine, non in Numine belli eventum conſtituit, cum ſine Deo nil poſſit homo: quod quidem experimento flebili rerum exitus declaravit. *Autor Hiſt. Jeroſ.* Notamus obiter, Guidonem Saladino, à quo, per integrum fere annum Damaſci in vinculis detinebatur, juramento promiſiſſe, ſe ex carcere liberatum regno eſſe ceſſurum, & trans mare exulaturum: à

Clero

Clero autem, qui pacta metu inita judicabat irrita, inductum Ægypti Sultano fidem fefelliſſe: Matth. Paris ad ann. 1188. *Hanc pactionem caſſandam Clerus regni deliberat, nec ibi fidem eſſe ſervandam, ubi periclitatur religio, dum terra promiſſionis omni ſolatio deſtituta, caput non habeat, nec rectorem, nec peregrini venturi ductorem, nec populus defenſorem.*

Hieroſolymis potitus Saladinus Tyrum fruſtra oppugnavit, *quod Rex Anglorum Henricus pecuniam multam apud Templarios & Hoſpitalarios dudum congeſſerat qua Tyrus defendebatur* conſilio & fortitudine Conradi Comitis Montisferratenſis. §. 137. *Tyrum fruſtra oppugnat Saladinus.*

Poſtquam anno 1187. Hieroſolymæ in Saladini venerant poteſtatem, Templarii ſedem mutare coacti primum Antiochiam cum Sybilla Amalrici Regis filia, cum Patriarcha Hieroſolymitano & ceteris exu- §. 138. *Templarii ſedem mutant.*

libus ſeceſſerunt. *Hiſt. Hieroſ.* deinde conventum Accone habebant, Phœniciæ munimento non ſine multis cladibus expugnato, tribui Aſſer quondam ſorte adſignato, ſed quæ loci incolas non expulerat, *Judic.* 1. 31. Matth. Paris ad ann. 1188. *Rex cum exercitu Baronum regni, qui ſibi adhæſerant, ſociatis ſibi Templariis & Hoſpitalariis; Venetianis etiam qui nuper advenerant, & Januenſibus peregrinis, iter verſus Ptolemaidem, quæ alio nomine Achon dicitur, arripuit.* Expugnata demum urbs fuit anni MCXCI. die Julii XIII. Philippi Galliæ & Richardi Angliæ Regum ope.

§. 139. *Æmulatio inter Galliæ & Angliæ Reges.*

Poſt occupatam Acconem orta inter duos Reges æmulatione & invidia Philippus Auguſtus in Galliam receſſit, relicto Burgundiæ duce cum parte exercitus. Richardus Hieroſolymas obſidione cingere fruſtra ſecum conſtituit: nam *Dux Burgundiæ cum fratribus Templi & cum Francigenis*

çigenis conſilium iniens, à propoſito revocatus eſt: qui aſſerebant, Ducem cum omnibus Francigenis maximam Domini ſui Regis Francorum offenſam incurſurum, ſi per eorum ſubventionem de tanta & tam famoſa civitate Rex Richardus triumphaſſet. Matth. Paris ad ann. 1192. ut vere quidam Eremita Anglorum Regi affirmarit, ipſum nequaquam eſſe Palæſtinam & Hieroſolymas hac vice obtenturum licet rem ubique ſtrenue egiſſet. *Ibid.*

Tum Chriſtianæ copiæ verſus Joppen procedentes non leve damnum à Saracenis acceperunt, ipſo quoque Rege Richardo ſagitta ſauciato. Eodem die cecidit miles nobilis & ſtrenuus armis *Jacobus de Avenis* multique alii occubuerunt ſeorſim Anglis ignorantibus cum Saracenis pugnantes. Saladinus Hieroſolymas cum ſuis ſe recepit: Richardus autem Aſcalonam contendit ejusque muros per totam hyemem labore ac ſumptu

§. 140. *Rex Angliæ ſauciatur.*

ſumtu magno reſtauravit, opidum Darum reædificans munivit, Gazam reparatam Templariis ad quos ut cuſtodirent antea pertinebat, tradidit. Sed nova hæc munimenta cito perierunt factis cum Saladino induciis. Etenim *Aſcalonam & Darum & Gazam noſtri diruere compulſi ſunt ſecundum treugarum conditionem & tenorem. Darum ſiquidem & Aſcalona, Gaza & tota terra uſque Joppen in partem ceſſit Saracenorum. Ipſi autem Joppen & aliam maritimam uſque Accon nobis ex pacto reliquerunt ſcientes pro certo quod munitionibus deſtructis terram planam diu contra ipſos retinere, recedente exercitu, non poſſemus.* Jacob de Vitr. p. 1123. Poſt anno 1192. Richardus exercitu cladibus & peſte minuto, hoſtibus vero auctis in Angliam per Germaniam redire in animum induxit, Fratrum Templi & Hoſpitaliorum & qui cum eo erant principum conſilio obſecu-

tus,

tus, & à nonnullis Templariis comitatus. *Matth. Paris*. Ante abitum Guidoni Hieroſolymitano Regi Cyprum inſulam interventu Magiſtri templi acceptam dedit, *Mar. Sanut. Torſell.* l. 3. p. 10. c. 7. ea lege ut Templariis quibus ipſe regnum illud oppignerarat, rem creditam ſolveret. *Paul. Æmyl.*

Prolongari inducias Saraceni dum earum tempus expiraret, fruſtra petierunt Templi Magiſtro præſertim obnitente, *Id.* l. 3. p. 11. c. 4. hinc bellum reſtauratum, Templariis multis & Hoſpitalariis ſtatim à principio vulneratis, paucis mortuis. Anno autem 1217. digreſſis inde militibus cruce ſignatis, *Templarii caſtrum quod olim diſtructum, nunc autem caſtrum peregrinorum dicitur, firmare cœperunt. Hoc autem caſtrum ſitum eſt inter Caipham & Cæſaream, non longe diſtans à mari. Quapropter viam ſtrictam aſcendentibus & ad Hieruſalem per eam*

§. 141. *Bellum reſtauratur.*

§. 142. *Muniunt ſe Chriſtiani.*

eam deſcendentibus, diſtrictum dicebatur. Hujus caſtri prima utilitas eſt, quod conventus Templariorum eductus à peccatrice & omni ſpurcitia plena civitate Achon uſque ad reparationem murorum Hieruſalem in hujus caſtri præſidio reſidebit, Matth. Paris in Henr. III. ad ann. 1217.

§. 143. *Prælio ſuperantur Saraceni.* Eodem anno Teutonicis expeditionem in Palæſtinam molientibus *congregata eſt contra eos maxima multitudo Saracenorum, contra quam viriliter pugnaverunt Templarii & Hoſpitalarii cum militia Reginæ Portugalliæ. Victi ſunt virtute divina Saraceni, Rex eorum unus occiſus eſt, & cum eo plurimi trucidati, & in captivitatem ducti:* Jacob. de Vitr. p. 1131.

§. 144. *Atrox pugna ad Damiatam.* Anno 1218. Chriſtiani Damiatam in Ægypto oppugnarunt, ubi *non modica damna intulit & ſuſtinuit, navis una Templariorum, propugnaculis munita, quæ aſſultus hu-*

jus

jus tempore juxta turrim hærebat. Durante obſidione præter Oliverium Angliæ Regis filium aliosve equeſtres &p ebeios viros Magiſter militiæ templi extremum diem obiit. *Poſtmodum in feſto S. Demetrii qui frater uterinus B. Dionyſii legitur, ſummo diluculo caſtra Templariorum invaſerunt hoſtes & modicum damnum nobis inferentes; per expeditos equites noſtros fugati ſunt ad pontem quem procul à nobis in ſuperiori parte fluminis conſtruxerant, & ibidem interemti ſunt ad numerum* 10 *ſicut à transfugis intelleximus.* Porro *accidit ut unus cogo* (navigii genus) *Templariorum raptus prope ripam civitatis præcipitaretur ad hoſtes, qui cum barbotis & vectis ferreis ipſum præpugnaverunt diutius ignem Græcum cum lapidibus deſuper de turribus projicientes: & cum ſic prævalere non valerent, propter defenſorum audaciam certatim navim aſcendentes præcipites* *Templariorum vaſtiſſima navis.*

in

in eam aſcenderunt ad Templarios; ubi cum diutius pugnaretur, tandem navis perforata fuit (ab hoſtibus ſive à noſtris incertum habuimus, ſed à noſtris credendum eſt) profundum petiit, ſubmergens Ægyptios cum Chriſtianis, adeo ut vix ſummitas mali appareret ſuper aquam. Et ſic Sampſon plures ſtravit moriens quam vivens.

§. 145. *Virtus bellica.* Non recenſebo heic omnes hujus obſidii eventus, ſed tantum facinora & fata noſtrorum militum, quæ in eo edidere aut experti ſunt, memorabo. Igitur *Templarii inter primos aſcendentes equos; erectis ſignis cum quibusdam Hoſpitalis S. Johannis fratribus, & paucis aliis ſecularibus militibus, verſus civitatem curſu propero feſtinantes, in partibus illis, ubi caſtra paganorum ſederant quos ibi invenerunt ad centum viginti trucidantes inſtanter.* Contra *in die palmarum anni præſcripti* (MCCXIX.) *inimici noſtri*

ſtri multa comminatione præmiſſa, quod ſeipſos vel nos omnes perderent, una die collectione terribili, & innumerabili exercitu equitum & peditum irruerunt ſuper nos, undique foſſatum noſtrum invadentes, & maxime pontem Templariorum poſt ambiguas velitationes - - *partem ejus combuſſerunt. Pridie vero calendas Auguſti omnem quam adducere poterant copiam poſt diuturnos aſſultus tandem foſſatum contra militiam Templi tranſeuntes, & licias noſtras viriliter rumpentes, pedites noſtros verterunt in fugam. - - Sed ſpiritus qui induit Gedeonem, animavit Templarios. Magiſter Templi cum Mareſcallo, cæteriſque fratribus qui cum eo tunc aderant, per exitum anguſtum impetu facto, viriliter in fugam convertit incredulos. Domus Theutonicorum, & Comites, & alii milites de diverſis nationibus, videntes militiam Templi in periculo conſti-*

ſtitutam, feſtinanter per exitus ſibi compoſitos tulerunt auxilium. Saracenis iterum in Latinos irruentibus. *Rex cum Templariis & domo Theutonicorum, & Hoſpitali S. Johannis; & de Hollandia & Withe, & Ceſtriæ & Sansbrigiæ Comitibus; Gualtero & Bartholomæo Francigenis; Piſanis aliisque militibus impetus perſequentium ſuſtinuit. Rex vero igne Græco fere combuſtus fuit. - - - Templarii triginta tres capti vel occiſi ſunt. - - Militia Templi, quæ prima ſolet eſſe in progreſſu, ultima fuit in regreſſu. Unde cum ad foſſatum noſtrum noviſſimi redirent, foris ſubſtitit, ut anteriores intra mœnia, quantum poſſibile fuit, reduceret.*

§. 146. *Damiata Capta.* Soldanus Damiatæ amiſſionem metuens, Chriſtianis haſce obtulit pacis conditiones: ſe redditurum Sanctam crucem totumque regnum Hieroſolymitanum, & omnes qui ſupereſſent captivos, ac præbiturum ſumtus

tus ad reſtaurandos Hieroſolymorum muros, quos hac æſtatę dejecerat. Sed præter Legatum Pontificis Templarii ſingulariter huic pacificationi interceſſerunt. Quare urbs poſt obſidionem XIX. menſium nonis Novembris anni MCCXIX. capta fuit. *Jacob. de Vitr.* & *Matthæus Paris, Oliver. Schot.*

Ante captionem Damiatæ (Vitriaci verba ſunt) *liber nobis apparuit Arabice ſcriptus, cujus autor ſe Judæum vel Chriſtianum vel Saracenum negat in illo. Quiſquis autem fuerit, prædixit mala, quæ Salahadinus populo Chriſtiano crudeliter intulit, in deſtructione Tiberiadis, in victoria quam de Chriſtianis habuit, quando Regem Hieruſalem & principes captivos duxit, Aſchalonem deſtruxit; & quomodo conabatur Tyrum apprehendere, ſed non profecit; & alia multa, quæ peccata illius temporis meruerunt, prædixit. Prædixit deſtructionem* §. 147. *Prophetia Arabice ſcripta.*

hortorum & palmarum civitatis Damiatæ quam factam vidimus, quando librum hunc per interpretes inſpeximus. addidit & Damiatam à Chriſtianis fore capiendam. Salahadini nomen non ponit, ſed per nigros oculos & crocea vexilla ipſum deſignat. Inſuper prædixit, quendam Regem Chriſtianorum Nubianorum Mecham civitatem debere deſtruere, & oſſa Machomet, pſeudoprophetæ diſperſa projicere, & quædam alia quæ nondum evenerunt.

§. 148. *Fortitudo Templariorum compenſatur.* Durante Damiatæ obſidione Templariorum fortitudo liberaliter fuit compenſata. Nam Leopoldus Auſtriæ dux caſtro ipſorum novo quinquaginta marcas auri contulit & Comes Auſtriæ quingentas marcas argenti donavit, ad murorum & turrium fundamentum. *Jacobus* autem *Acconenſis* Epiſcopus præ cæteris Templarios deprædicat in Epiſtola de captione Damiatæ, *quod experimento*

mento fraudes Verſipellium cognoſcant: ut mirum minime ſit, Magiſtrum ipſorum glorioſas de hac expeditione literas ſcripſiſſe, quarum initium lubet ſubnectere. *Fatri in Chriſto Reverendo N. Dei gratia Elimenſi Epiſcopo, Frater Petrus de Monte acuto, Magiſter militum Templi ſalutem. Quomodo in negotio Domini noſtri Jeſu Chriſti, poſt captionem Damiatæ & caſtri Taphneos hactenus ſit proceſſum, Paternitati veſtræ literis præſentibus declaramus*, &c. Matthæus Paris. ad ann. 1221. Viciſſim *Melchiſomaphat filius Saphadini multa damna Templariis intulit, cum eſſent in obſidione Damiatæ. combuſſit enim oppidum caſtri albi, & turres munitas deſtruxit.* Aſſaſinos tamen Chriſtianis tum inſidiantes ad ſervitutem tributi redegerunt. *Tria namque millia Byſantiorum annatim Templariis perſolvunt.*. Vitriac.

 Eo-

§. 149. *Saracenis damnoſa.* Eodem anno MCCXIX. Coradinus acceſſit ad caſtrum *Filii Dei*, à Templariis munitum & cuſtoditum, *cum toto exercitu ſuo; & deſiderans illud ex omni parte obſidere, ſagaciter intellexit quod comprehenſibile non erat. inſuper Templarios ad omne periculum paratos invenit, qui caſtrum victualibus & omni armatura fortiter munierant. Eodem tempore Templarii latrones Sarracenorum ab Acchon repulerunt viriliter, quoſdam occidendo, alios captitando. Coradinus autem auxilium poſtulabat à Saracenis qui ab ortu Solis venientes obſederunt Acchon, quod efficere non poterant propter inexorabilem diſcordiam principum terræ ipſorum, Chriſtianis plurimum opportunam, quam Calyphas Papa ipſorum ſepelire laborabat.*

§. 150. *Caſtrum Saphet.* *Anno incarnationis Domini* MCCXX. *Coradinus Princeps Damaſci deſtruxit Saphet caſtrum firmiſſimum*

ſimum quod Salabadinus, flagellum Chriſtianorum, per longam obſidionem in tantum arctavit, ut defenſores fame deficientes requiſita licentia Magiſtri militiæ Templi redderent illud tyranno. Vitriac.

Dum hæc in Ægypto & finitimis tractibus geruntur, Templarii in Angliа ſtrenuam impenderunt operam ad regnum illud Innocentio III Pontifici Romano & ejus ſucceſſoribus ſubjiciendum. Nam *applicuerunt duo fratres de militia Templi apud Doveram, & venientes amicabiliter ad Regem* Johannem, *dixerunt ei: miſſi ſumus ad te, ò Rex potentiſſime, ex parte Pandulphi ſubdiaconi, ac Domini Papæ familiaris, qui pro utilitate veſtra & regni veſtri vobiscum petit habere colloquium: proponet enim tibi quandam pacis formam qua poteris Deo & Eccleſiæ reconciliari, licet in curia Romana à jure regni Angliæ abju-* §. 151. *Templarii Angliam ſubjiciunt Papæ.*

dicatus fueris, & ſententialiter condemnatus. Rex vero cum Templariorum verba intellexiſſet, miſit Templarios memoratos propter Pandulphum quantocyus transfretare. Matth. Paris ad ann. 1213. Effecere igitur ut Rex Johannes tactis ſacroſanctis Evangeliis in præſentia legati jujaret ſe Eccleſiæ pariturum: quemadmodum & in domo militum templi Angliæ & Hiberniæ regnum in Innocentium ejusque Catholicos ſucceſſores promiſſa fidelitate transſcripſit, & ab eodem *velut ſecundarius recepit tenuitque.*

§. 152. *Damiata reſtituitur Saracenis.* Sed revertamur ad noſtros Templarios in Ægypto & Palæſtina. Damiatam gravi adeo obſidione expugnatam Chriſtiani *Marino* teſte l. 3. p. 11. c. 9. non ultra octo menſes retinuere. Templarii enim aliique milites cruce ſignati, quum contra conſilium ac voluntatem Regis Hieroſolymitani in Babyloniam excurriſſent, à Soldano & ejus fratre Coradino

dino non ſolum cum magnis copiis infeſtati, ſed & flumine exundante Damiatam redire vetiti, & ducta ab hoſtibus foſſa aquis pene ſubmerſi fuerunt. Itaque ne & ipſi perirent, & qui Damiatæ incluſi manſerant in captivitatem redigerentur, pactis in octo annos induciis, Latini Saracenis Damiatam cum omnibus captivis reſtituerunt, *Matth. Paris.* Accidit hoc anno 1220.

Anno 1222. Papa Honorius III. cum Imperatore Friderico II. & Cardinalibus ac Magiſtro Hoſpitaliorum legatoque Magiſtri Templariorum multa quidem molitus eſt pro ſubſidiis terræ ſanctæ ferendis, quæ tamen omnia ſucceſſu caruerunt, donec anno 1227. Templarii præſertim & Hoſpitalarii Conſilium de rumpendis induciis initum Gregorio IX. per literas ſignificaſſent, totum orbem Chriſtianum ad terræ ſanctæ ſuccurſum mox invitaturo per clamorem ſanguinis Chriſti, tanto cum ſucceſ- *§. 153. Pax violatur inſtinctu Papa.*

ſu, *ut ex ſolo Anglorum regno pluſquam ſexaginta millia proborum hominum, præter ſenes & mulieres, profecti referantur.* Matth. Par. Sed Fridericus II. ob diras Pontificias à Templariis, Hoſpitalariis, aliisque parum adjutus, imo proditus, uti infra audietur, die XVIII. Febr. A. 1229. recepto regno Hieroſolymitano pacem cum Soldano ſancivit, *Geroldi* Patriarchæ Hieroſolymitani impudentibus propter hoc literis ad *univerſos Chriſti fideles* directis dilacerandus.

§. 154. *Suum interim quærit commodum.* Poſt Friderici ex Oriente diſceſſum nulla Saracenorum aut Latinorum à Pariſienſi aut Marino memoratur expeditio; conditionibus pacis utrinque per aliquot annos obſervatis. Gregorius autem IX. terræ ſanctæ cuſtodiam prætendens, ſua curare commoda non deſiit, *cruce ſe ſignaturis plenam* per Monachos, Clericos, *concedens peccatorum indulgentiam. poſtea miſit dominus Papa*

in

in Angliam fratrem Thomam Templarium, *familiarem ſuum cum authentico ſuo; ut quos vellet, & prout expedire videret, cruce ſignatos, accepta pecunia, quam ſe ducebat utilius ad promotionem terræ ſanctæ expenſurum, à voto peregrinationis abſolveret. quod cum viderent cruce ſignati, admirantes inſatiatam Romanæ curiæ cupiditatem, magnam conceperunt mentibus indignationem, quod tot argumentis nituntur Romani tam impudenter loculos emungere populorum.* Matth. Paris ad ann. 1236.

Anno proxime ſecuto, *mortuo Soldano Halapiæ, treuga accepta inter Templarios & eundem Soldanum expiravit. volentes igitur fines ſuos ad honorem Chriſti ampliare Templarii* caſtrum quoddam *Guaſcum* Antiochiæ vicinum obſidere conſtituerunt, ſub auſpiciis Antiocheni Præceptoris *W. de Monte ferrato* Arvernia oriundi. Adpropinquantes §. 155. *Male cedit Templariis.*

tes monentur à captivis Chriſtianis de inſidiis ab hoſte ipſis locatis: quare *multi de militia templi, librantes belli caſus fortuitos, & ſuorum paucitatem & hoſtium multitudinem, conſilium dederunt inſidias declinando præcavere.* Verum Antiochenus Præceptor, ſpreto admonentium clamore pergit ad certamen, ac ſubito à Turcis circumdatus, *belli pondus non valens ſuſtinere, contra ordinem templi, terga dedit fugitivus, & cum eo alii de ſuis, qui prius alios animarunt. ceciderunt autem in conflictu illo plus quam centum milites Templi, & trecenti arcubaliſtarii, ſine aliis ſecularibus, & manu pedeſtri non minima. de Turcis vero ad tria millia. Cecidit autem in illo infauſto certamine illuſtris miles Templarius, Anglicus natione*, Reginaldus de Argentomio, *ea die Balcanifer; qui, ut alii qui ceciderunt, cruentiſſimam de ſe reliquit hoſtibus victoriam: indefeſ-*

ſus

ſus vero vexillum ſuſtinebat, donec tibiæ cum cruribus & manibus frangerentur. Solus quoque eorum præceptor priusquam trucidaretur, circiter ſexdecim hoſtium, abſque lethaliter vulneratis, ad inferos deſtinavit. facta eſt autem iſta congreſſio deteſtanda menſe Junio.

Occaſione Angli hujus Templarii liceat memorare alterum ex eadem natione *Wilhelmum Pembrokiæ Comitem* qui poſt inſignia facta bellica è Palæſtina in Angliam reverſus obiit in Patria, & lapidi ſepulcrali hunc inſcribi fecit titulum: §. 156. *Wilh. Comes Pembrokiæ,*

Miles eram Martis, Mars multos vicerat armis.

Teſtaturque Camdenus in eodem lapide exciſam ſe vidiſſe formam qua Templariorum cadavera in tumulo recondi ſolebant, manibus ſcilicet pedibusque in figuram crucis, quæ ipſorum erat inſigne, compoſitis.

Anno

§. 157. *Templariorum audacia in miſeriam vertit.* Anno MCCXXXIX. Rex Navarræ aliique illuſtres ex Francia & Burgundia viri in Palæſtinam profecti, *applicuere Ptolemaidæ, & deliberatione habita Aſcalonam reædificare diſponunt. & cum uſque Japham proceſſiſſent, Templarii recepto nuncio exploratore, cognoſcunt juxta Gazam mille Turchos adeſſe paratos, contra quos trecentos milites miſerunt.* in conflictu *captus fuit Almericus de Monte forti, & Henricus Comes de Barleduc mortuus, multique milites aut mortui, aut capti ſunt: qui vero fugere poterant, ad Aſcalonem uſque pervenientes, Regem Navarræ cæterosque terruerunt.* Marin. Sanut. Torſell. l. 3. part. 11. c. 15.

§. 158. *Odium incurrunt.* Paſſim circa hæc tempora Templariorum res acciſæ fuerunt. Fridericum ſane Imperatorem Gregorius Papa literis hinc inde miſſis queritur *Patriarcham Hieroſolymitanum & Templarios, pro viribus expugnaſſe.*

gnaſſe. In Sicilia bona ipſorum fiſco applicabantur. *Matthæus Patis* ad Anno 1239. Propoſitio Eccleſiæ. Templarii & Hoſpitalarii bonis mobilibus & immobilibus ſpoliati, juxta tenorem pacis non ſunt integre reſtituti. Reſponſio Imperialis. à Templariis & Hoſpitalariis verum eſt, quod per judicium, & per antiquam conſtitutionem regni Siciliæ, revocata ſunt feudalia & burgaſatica, quæ habuerunt per conceſſionem invaſorum regni, quibus equos, arma, victualia & vinum, & omnia neceſſaria miniſtrabant abunde, quando infeſtabant Imperatorem; & Imperatori, tunc Regi pupillo & deſtituto, omne omnino ſubſidium denegabant. In Anglia Henricus III. *Galfridum Templarium à curia quod multi deſiderabant, præcepit amoveri.* Id.

Anno 1240. Templarii excluſis Hoſpitalariis cum Damaſci Soldano inducias pepigerunt receptis aliquot ca- §. 159. *Inducias pangunt cum Soldano Damaſci.*

caſtris totoque Hieroſolymitano tractu. quare Hoſpitalarii cum Soldano Babyloniæ, Damaſceni æmulo & hoſte tranſegerunt, diſcordia hac rem Chriſtianam non parum minuente. *Marin.* lib. c. Tum & hæc in Angliam è transmarina plaga afferebatur Epiſtola: *Sciatis quod Damaſcus non capitur, ut dictum eſt prius; ſed redierunt omnes Accon. Præterea ſciatis quod Dominus Rex Franciæ amovit omnem theſaurum ſuum à templo: quoniam Templarii, nec Hoſpitalarii, noluerunt Francos in hoc diſcrimine adjuvare.* Paris ad Anno 1240. De prædictis induciis ſequentes extant Magiſtri Templariorum literæ. *Frater Hermannus Petragorinus Dei gratia pauperis militiæ templi Magiſter humilis, dilecto in Chriſto fratri Roberto de Samford, domorum ejuſdem militiæ in Anglia Procuratori, ſalutem in Domino. Fraternitatem veſtram ſcire volumus, quod cum jacuiſſet*

diu

diu in ſabulo tædio affectus & otio Chriſtianus exercitus, non per multa & crebro celebrata concilia, heu quid eſſet tenendum quidve faciendum, diſcernere potuiſſet: non ſuis exigentibus meritis, ſed conſuetæ miſericordiæ clementia viſitavit eum oriens Dominus ex alto. Etenim Soldanus Damaſcenus, non timore populi Chriſtiani, ſed miraculoſe Domino faciente, totam terram integre a flumine Jordanis ditioni reſtituit Chriſtianæ. Inter Chriſtianos & ipſum Soldanum intervenientе conventione hujuſmodi atque pacto, quod unus juvabit alterum pro poſſe ſuo ad defendendum terras ſuas contra Soldanum Babyloniæ, neutra parte cum eodem Soldano ſine altera componente: quæ ſubito in compoſitione præſentium unanimiter conſenſerunt. Benedictus Deus per omnia qui hæc fecit. Paris. l. c.

Anno 1242. *Templarii in terra Sancta de multis millibus Sarace-* §. 160. *Fœliciſſime pugnant.*

norum, a Babyloniorum partibus tranſmiſſorum, plus miraculoſe quam humana fortitudine inopinabili victoria glorioſe triumpharunt. Paris.

§. 161. *Diſcordias ſerunt inter Chriſtianos & Saracenos.* Anno 1244. in Angliam aliæ venerunt à Magiſtro Templariorum literæ de poſſeſſione Hieroſolymorum, ejectis omnibus Saracenis, deque recepta a Sultano Babylonio regione vicina, ſed quibus nemo fidem habuit *tum propter antiquam tam Templariorum quam Hoſpitaliorum infamiam, eo quod dicitur quod ſemper diſcordiam inter Chriſtianos & Saracenos procurant, ut durante bello, undique adventantium pecuniam colligant peregrinorum, tum propter eorum mutuam diſcordiam, tum propter hoc quod captionem Imperatoris machinabantur.* Matth. Paris.

§. 162. *Clades.* Eodem anno *feria ſecunda ante feſtum S. Lucæ Evangeliſtæ Chriſtianus exercitus, totius ultramarinum militiæ robur, in Choerminos* (gens erat Saracenica) *velut rei præ-*

præſcios, ad prælium præparatos, infeſtis auſpiciis irruit; licet enim innumerabilem hoſtium interemerint multitudinem, tamen & ipſi ſtragem accepere permagnam, paucis admodum *mortis aut carceris exitium evadentibus.* nam *ex omnibus terræ Baronibus, & regni Hieroſolymitani militibus, toto conventu militiæ templi, trecentis videl. fratribus, & ducentis Hoſpitalariis S. Johannis, ac toto poſſe S. Mariæ Teutonicorum nemo niſi Patriarcha præfatus, & dominus de Monte forti, qui regni vexillifer fuerat & anteſignanus, quatuor milites & pauciſſimi ſervientes Templarii: Hoſpitalarii vero decem & novem: & de fratribus Teutonicorum, tres tantummodo ſervientes fortunæ vel fugæ ſubſidio proh dolor redierunt. Poſtmodum verò die S. Lucæ Evangeliſtæ, reſumpto Spiritu, & invocato de ſupernis ſuffragio, fratres militiæ Templi & Hoſpitalis, cum*

omnibus aliis religioſis bello mancipatis, & eorum viribus, generalique exercitu Chriſtianorum terræ ſanctæ, ſub Patriarcha publico edicto congregati inierunt prælium cum dictis Chœroſminis -- quo ceciderunt Magiſter militiæ Templi (Hermannus de Perigord.) *& Magiſter Hoſpitalis, & alii Magiſtri Ordinum, cum ſuis conventibus & ſequelis, & Dominus Walterus, Comes de Breſna captus, & Dominus Philippus de monte forti occiſus, & qui ſub Patriarcha militarunt, contriti. Nec evaſerunt de omnibus Templariis præter octodecim, & de Hoſpitalariis ſexdecim, quos tamen pœnituit poſtea evaſiſſe.* Frider. Imperat. & Magiſt. Hoſpit. in Epiſt. apud Matth. Paris in Henr. III. ad ann. 1244.

§. 163. *Solatium victis a Rege Francorum.* Anno 1245. Ut abſtergerentur lacrymæ a maxillis matris noſtræ Eccleſiæ, deplorantis filios ſuos nuper trucidatos, Dominus Rex Francorum,

rum, Hoſpitalarii quoque & Templarii, milites neophytos & manum armatam, cum theſauro non modico illuc, ad conſolationem & auxilium ibi commorantium, & impetus quotidianos Chorofminorum & aliorum infidelium ſuſtinentium, feſtinanter *transmiſerunt*. Paris.

Anno 1246. Templarii & Hoſpitalarii comperientes propriam miſeriam & ad ſe, licet ſero, revertentes, ſtatuerunt inter ſe orationes & jejunia præter ſolita ſpecialiter pro liberatione *terræ ſanctæ devotè facienda*. Mox per legatos cum Sultani Babylonii optimatibus, prætioſis muneribus delinitis, egerunt de redimendis multo auro argentoque captivis. Hæc cum Soldanus cognoviſſet, ipſos interpretes increpando, & eoſdem Templarios & Hoſpitalarios redarguendo, ait: miſeri ſunt iſti Chriſtiani quos dicimus Templarios & Hoſpitalarios, & ordinis ſui transgreſſores. Primo enim voluerunt pau- §. 164. *Jejunium ſolenne pro liberatione terræ S.*

cis transactis annis ſuum Imperatorem Fridericum in ſervitio Chriſti ſui peregrinantem, prodere fraudulenter, ſed per propriam pietatem noſtram non prævaluerunt. Iterum ipſi qui ſeſe ut fratres ad invicem diligere tenerentur, & in neceſſitatibus coadjuvare, bellum hoſtile inter ſe, & odium inexorabile jam per quinquennium continuarunt, nec poterat Comes Richardus, frater Regis Angliæ, qui inter Chriſtianos habetur clariſſimus pacificare; treugasque ab ipſo cautè initas ipſi Templarii, in contemtum dicti Richardi, quem Garcionem eſſe aſſerebant, & in contumeliam fratrum ſuorum, videl. Hoſpitaliorum procaciter infregerunt. Item, in bello, inter nos & ipſos nuper commiſſo, primicerius eorum & ſignifer, quem Balcaniferum vocant, contra ordinis eorum decretum primus recalcitravit, in prælio fugitivus. Nunc autem mala malis addentes, & ordinis ſui transgreſſiones transgreſ-

greſſiônibus accumulantes, *Magiſtros ac fratres ſuos captivos pro magna pecuniæ quantitate ſatagunt comparando redimere, quos non niſi pro Zona quadam vel capiſtro ſecundum ordinis eorum tenorem, novimus redimendos. Merito igitur multiplici tradidit eos Deus eorum in manus odientium eosdem carceri mancipandos. Et ſic auſtero vultu & torvo aſpectu recedere juſſit pro eis intercedentes, aſſerens incarceratorum conditionem fore protinus aggravandam.* Viva certe Templariorum noſtrorum & vera deſcriptio. *Paris.*

Anno 1248. *Cum Magiſter Templariorum ex Syria ad Regem Ludovicum ſcripſiſſet, Sultanum Ægyptium miſiſſe ad ſe unum ex ſatrapis ſuis, qui de pace ageret, ſi per Gallos liceret: Rex Luſinianus, qui peritus rerum, hominum, regionum illarum, falli non poterat, cum in concilio ea de re ageretur, exploratum ſe habere dixit, Tem-* §. 165. *Vetantur pacem facere cum Sultano.*

 pla-

plarium, ipſum ultro ad Sultanum miſiſſe, evocaſſeque ſatrapen, qua ex re majore animo eſſe factos barbaros, quod cruce ſignati pacis cupidi, ac cogitare jam de reditu viderentur. Vetuit igitur S. Ludovicus Barbaros à Templariis recipi, audirive, aut commercia ſermonum miſceri. Baron. ad ann. 1248. n. 9.

§. 166. *Tametſi conditiones proponantur ſatis ampla.* Anno 1249. Ludovicus S. qui ex periculoſo morbo reſtitutus votum militiæ in terra ſancta fecerat, Damiatam Ægypti urbem a Turcis incenſam & derelictam occupavit, Templariis in itinere anteriorem Saracenorum cuſtodiam proſternentibus. *Marin.* libr. 3. part. 12. cap. 2. Hinc Principes Saraceni *obtulerunt Chriſtianis quicquid terræ Chriſtianorum unquam extitit & amplius, dummodo Damiatam & quæ jam ceperant cum indemnitate reſtituerent.* Sed Latini hac conditione non acquieſcentes Alexandriam quoque pe-

petierant Comitis Atrebatenſis maxime inſtinctu. Saraceni in hoc nequaquam conſenſerunt quin *ad invicem colloquentes dicebant: Sinite modo, ſinite. Superbia & avaritia, quas Chriſtus Jeſus Deus eorum maxime odit, ipſos omnes exterminabit.* Paris. ad ann. 1249. Eventum lugubrem vaticinio reſpondiſſe jamjam audiemus.

Felicia expeditionis Ægyptiacæ initia Templarii vanis rumoribus in majus auxerunt, Cairum quoque & Babyloniam captam, atque Alexandriam a Turcis relictam mentiti apud Europæos, ut cruce ſignatorum iter forſitan maturarent, aut pecuniam largius acciperent. *Paris.* ad ann. 1250. §. 167. *Falſi ubique ſparguntur rumores a Templariis.*

Sub idem tempus in Anglia Templarii & Hoſpitalarii in cauſſa adverſus Robertum Epiſcopum Lincolnienſem bonis ipſorum inhiantem *appellarunt ad ſedem Apoſtolicam & pecunia interveniente à Domino Papa caute pacem redemerunt, ſecun-* §. 168. *Templariorum & Hoſpitaliorum certamen cum Epiſcopo Lincolnienſi.*

 dum

dum illud Ethici: Judicis auxilium ſub iniqua lege rogato. Epiſcopus poſt mutuas cum Pontifice altercationes exclamavit: *ò pecunia, pecunia, quantum potes, præcipue in curia Romana!* ad quod *exaſperatus* reſpondit Innocentius IV. *O Anglici! hominum eſtis miſerrimi. quilibet veſtrum alium corrodit ac ſtudet depauperare.* Eodem anno obiit in Apulia Fridericus II. & Templariis ac Hoſpitalariis ingentem pecuniæ ſummam teſtamento legavit.

§. 169. *Sultanus Cairum & Babyloniam præſidio firmat.* Tum & præfectus Cairi fratris ob Damiatam derelictam interfecti cædem vindicaturus, captivis Templariis, Hoſpitalariis & Francis traditionem urbis promiſit, ſi Franciæ Rex cum exercitu eo veniret. *Sed comperta tribuni proditione Soldanus Kayrum & Babyloniam munitiſſimis militum ſuorum cuſtodiis protinus communivit, dicens: nunc demum ſpero quod pro ſuperbia eorum confundet Chriſtianos Dominus ac Deus*

eo-

eorum Jeſus Chriſtus amator modeſtiæ & humilitatis.

Atque hoc ipſo anno ſeculi XIII. quinquageſimo iſtud Soldani præſagium fuit expletum Francici exercitus ſtrage, Ludovici IX. Galliarum Regis in Ægypto militantis captivitate & Damiatæ jactura. §. 170. *Ejus præſagium expletum.*

Quum enim Damiata verſus Cairum Latini moviſſent, & occurrentes in via Saracenos, favente primum Marte occidiſſent, Taphnem, magnum e Nili alveo prodeuntem fluvium, tranſierunt, & Robertus Comes Atrebatenſis Ludovici frater, Rege inſcio, cum multis comitibus, primariæ nobilitatis viris, ad ulteriora litoris ſe contulit, fugitivos, ut opinabatur, Turcos inſectaturus. Diſſuaſit expeditionem Magiſter Templi prudenti Sermone, revertendum potius ad univerſum exercitum, ne pauci jam certamine fatigati & ſauciati, fameque & ſiti laborantes ab hoſtium multitudine cincti ſuperentur; §. 171. *Chriſtiani irruunt in Saracenos.*

tur; equis item qui honore & gaudio victoriæ non refocillentur, paſtum & quietem indulgendam. *Robertus* excandeſcens in hæc contra Templarios erumpit convicia: *O antiqua Templi proditio! o vetus Hoſpitaliorum ſeditio! o fraus diu occultata! quam manifeſte nunc prorupit in medium! hoc eſt quod diu vero præcinimus augurio, & veraciter eſt prædictum: hæc tota terra Orientalis jam diu fuiſset adquiſita, niſi templi & Hoſpitalis, & aliorum qui ſe proclamant religioſos, fraudibus nos ſeculares impedirent. Ecce patet ad manum captio Soldani, & totius confuſio paganiſmi, & legis perpetua exaltatio Chriſtianæ, quam ſuis fictis & fallacibus ſermocinationibus præſens Templarius conatur impedire. Timent enim Templarii & formidant Hoſpitalarii, & eorum complices, quod ſi terra viribus ſubdatur Chriſtianis ipſorum exſpirabit, qui amplis re-*

reditibus ſaginantur, dominatio. Hinc eſt quod fideles huc adventantes, & ad negotium crucis accinctos, variis inficiunt potionibus, & Saracenis confederati, diverſis interficiunt proditionibus. Nonne ſuper his Fridericus eorum expertus muſcipulas, teſtis eſt certiſſimus?

Crimina hæc Magiſter Hoſpitalis honeſta oratione ab ordine ſuo & fratribus amovit: Templi autem Magiſter ira percitus exclamavit ad ſigniferum: *explica & eleva ſignum noſtrum, & procedamus bellaturi, ut hodie tam mortis quam Martis ambigua fata coexperiamur. Inſuperabiles eſſemus, ſi inſeparabiles maneremus. Sed infeliciter dividimur. Similes arenæ ſine calce, unde inepti ædificio ſpirituali, & cæmento charitatis expertes, materiæ depulſæ conſimiles erimus profecto ruinoſi.* §. 172. *Lites inter Hoſpitalarios & Templarios.*

Sultanus diſcordiæ hujus certior factus, cum turmis innumerabilibus §. 173. *Unde maxima Chriſtianorum ſtrages.*

in Chriſtianos irruit, committitur acre prælium; ac Saraceni multitudine prævalent, *Robertus* ad *Wilhelmum de Longa Spata*, Comitem Anglum exclamat: *O Wilhelme dimicat contra nos Deus, non poſſumus amplius reſiſtere.* quare equo rapidiſſimo confiſus, arrepta fuga, flumen intrat: ſed armorum aliorumque impedimentorum pondere depreſſus ac ſubmerſus interiit, temerariamque audaciam miſerabili fato luit. nec evaſere niſi tres ſolum aut quatuor Templarii ac totidem Hoſpitalarii cum tribus Teutonicis.

§. 174. *Victoria exultat Sultanus.* Victoria Sultanus exultavit, & Regis Francorum cum ſuis copiis adventum audiens, damnata ipſorum poſt tot ac tantas clades acceptas audacia, in conventu Optimatum inter cætera diſſeruit: *quæ eos temeraria exagitat dementia, ut nos impetant volentes exhæredare, qui poſt diluvium hanc digniſſimam inhabitavimus regionem? intereſtne ſua, ut*

in

in Chriſtum ſuum inviti credamus? qui converti poteſt, aut invitus credere? aliqua, ſed exilis, ipſos movet ratio, ut terram quam ſanctam vocant concupiſcant Chriſtiani: ſed quid ad eos de Ægypto? Itaque ſuos ad prælium promiſſis muneribus inſtigat, qui ſine clade Europæos multitudine circumfundunt ac proſternunt. *habuimus equitum generoſorum duo millia & trecentos, & quindecim millia pugnatorum. qui fere omnes ad vota hoſtium vel trucidabantur, vel capiebantur. Rex etiam cum paucis admodum, ſcil. Carolo Comite Provinciæ, & Aldephulſo Comite Pictaviæ, & aliis qui ipſum defendebant captus eſt.* **Rex Franciæ capitur.** *--in exercitu vero quem ſecum Robertus Comes Atrebatenſis, Regis frater, auſo temerario pertraxerat, perierant milites fere mille, pugnatorum autem ſeptem millia & ducenti.* Accidit miſeranda ſtrages die quinto Aprilis anni 1250. Blanca

ca Regis mater cum proceribus eam credere noluit, infauſtæ ſortis nunciis de patibulo ſuſpenſis. *Paris.*

§. 175. *Libertatem redimit.* Captivus Rex libertatem Damiatæ redditione redemit Aconem dimiſſus incolumis, ubi ſub cuſtodia Templariorum & Hoſpitaliorum integrum exegit quadriennium. Relicti autem Damiatæ Chriſtiani a Saracenis occidebantur, eo quod Franci contra pacta prius olei vinique dolia confregiſſent, carnes ſalitas projeciſſent, omnemque victum corrupiſſent. Pro cæteris captivis ſoluta pecunia quam Rex cum a Templariis tum ab Hoſpitalariis, Genuenſibus ac Piſanis mutuo accepit.

§. 176. *Induciæ inter Sultanum & Franciæ Regem.* Anno 1252. Iconienſes & Damaſceni cruentum Babyloniis bellum intulerunt odio habentes eorum Sultanum cum quia Ludovicum e carcere ſalvum dimiſerat, tum quia per cædem ſui Anteceſſoris in ſolium adſcenderat. Induciæ itaque inter Sultanum & Franciæ Regem concluſæ fue-

fuerunt, cito rumpendæ. Nam ſequenti anno Damaſci & Ægypti Sultani inita inter ſe concordia arma adverſus Latinos, & capellum ante Ptolemaidem Templarium ſedem everterunt, *poſtea ceperunt Sidonem interfectis perſonis quaſi octingentis; & quadringenti Damaſcum in captivitatem ducti ſunt. Rex autem Franciæ poſt reparatam Japham, Sidonem reædificavit.* Marin. Sanut. libr. 3. part. 12. cap. 4. Neque auſi Templarii Saracenorum coercere libidinem. *Paris.*

Eodem anno 1252. in Anglia Templarii in Regis Henrici III. indignationem inciderant, quod nollent ejus æs alienum ſolvere licet rogati. unde *iratus Rex terribiliter comminatus eſt illis. & in ipſa ira aufugavit fratrem Rogerum Templarium ab officio eleemoſynariæ, & a curia juſſit elongari: & aliis nactis occaſionibus Templariis & Hoſpitalariis inſidias tetendit novercales.* Paris.

§. 177. *Henricus III. Templariis infenſus.*

§. 178. *Illi vero Pontifici Romano.* Anno 1254. Papa Romanus Regi Angliæ obtulit regnum Siciliæ & Apuliæ promittens, omnes cruce ſignatos milites ipſum eſſe adjuturos in expeditione adverſus Conradum & Manfredum. *unde hoc audientes Templarii & Hoſpitalarii, Patriarcha Hieroſolymitanus, & omnes Sanctæ terræ prælati & incolæ, qui hoſtibus Chriſti opponuntur, & jam pejora formidabant, uſque ad mortem doluerunt, Romanas fallacias deteſtantes.* Paris.

§. 179. *Magnus eorum numeris ſuperatus.* Anno 1256. Genuenſes cum Venetis ad Tyrum & Ptolemaidem acriter bellarunt, Templariis modo hanc modo illam partem foventibus. Atque anno 1260. *Julianus Dominus Sidonis vendidit Sidonem & Belfort Templariis, propter quod inter eos & Regem Armeniæ non parva diſcordia orta eſt. Eodem anno à Turchemannis* præter alios ſuperata fuit *magna congregatio Templariorum & milites Ptolemaidæ,*

dæ, multique fuerunt vel capti vel mortui.

Anno 1263. Sultanus Babyloniæ *Bendocdar cum* XXX. *millibus equitum venit ante Ptolomaydam* XIV. *die Aprilis: ſequenti die impetuosè nimis uſque ad portas civitatis proſiliit, viridaria combuſſit, fuitque civitas in periculo magno valde. Ratio hujus impetus fuit, quia Templarii & Hoſpitalarii nolebant Soldano ſclavos ſecundum pacta reddere, cum ipſe vellet reddere quod debebat.* Marin. Sanut. Torſell. lib. 3. part. 12. c. 6. §. 180. *Pacta non ſervant.*

Anno 1264. *die viceſimo Septembris* Oliverius de Termes Ptolomaydæ applicuit, qui die quinta Novembris cum militia Ptolomaënſi, Hoſpitalariis & Templariis, deſtruxerunt Bethſan, *& plura caſalia: & terram undique comburentes, hominum ac jumentorum magnam egerunt prædam.* Porro *anno* 1267. ſecundo die Maii Bendocdar venit an- §. 181. *Oliverius de Termes, Ptolemaidem venit.*

te Ptolomaydam ; & dum eorum nonnulli inſignia portant Hoſpitalis & Templi, uſque ad quingentos pauperes, qui pro lucro ad herbes venerant, incautos interimunt: ferturque quod fel cujusque extraxerint, & pellem capitis excoriaverint uſque *ad aures.* Marin. lib. 3. pag. 12. cap. 7, 8.

§. 182. *Quæ urbs fortiter defenditur à Templariis.*

Anno 1269. Civitas Acon, quæ & Ptolemais dicta proditione fere in poteſtatem Sultani Babyloniæ veniſſet, niſi Eduardus, Henrici III. Angliæ Regis filius ad ejus conſervationem mature accurriſſet punitis proditoribus ac Venetis arma Saracenis victumque miniſtrantibus. Quare Sultanus ſpe fraudatus, urbem vi oppugnavit, ſed non cepit, fortiter à Templariis aliisque defenſam. *Matth. Weſtmonaſt.* Poſt inter Bendocdarem & Hugonem Hieroſolymorum Regem anno 1272. conciliatæ ſunt induciæ, ſed tantum in vicinia Aconis valituræ. *Marin.*

Anno

Anno 1276. Amici Regis Cyprii cum quo manifeſte Templarii diſſidebant, eos ad jurgia provocant, nonnullosque interficiunt. §. 183. *Contentio inter amicos Regis Cyprii & Templarios.*

In excidio Acconis ſeu Ptolemaidæ anno 1291. fere integer ordo à Saracenis fuit extinctus. *Burchardo* in deſcriptione terræ ſanctæ *eſt civitas multa militia munita & caſtris fortiſſimis, ſcil. caſtro Regis Jeruſalem, Templariorum, Hoſpitaliorum, qui etiam ſi Domino placeret, poſſent expugnare omnes Saracenos.* Verum ea *urbs populis tunc frequentata innumeris, quantos nunc non temere alat aliqua urbs Italiæ, à ſeptem diverſis ſibique ipſis invicem contrariis premebatur potius lacerabaturque, quam gubernabatur Magiſtratuum gentiumque generibus. Patriarcha enim titulo Hieroſolymitanus ſibi temporalem æque ac ſpiritualem vindicare quærebat gubernationem: eandem hinc Templarii inde Hoſpitalarii,* §. 184. *In obſidione Acconæ fere omnes pereunt Templarii.*

& pariter Teutonici ab armorum tractatione, & ſanguinis, ut dicebant, effuſione repetebant. Suam ad ſe ſolum ſpectantem Rex Cypri vel ea ratione volebat, quod tertio ante anno regni Hieroſolymæ titulos in Comitis Atrebatenſis contentionem & ſponte ſua, & paucis temeritati adſtipulantibus aſſumſerat. Rex quoque Carolus II. Neapolim ex carcere reverſus, nihil duxit antiquius, quam Ptolemaidam mittere, qui de Hieroſolymæ regni titulis cum Cyprio Rege contendentes, paterna avitaque & proavita in illa urbe jura vel armis & viribus conſervarent, qua in re uſque adeo exarſit animis, ut Templariorum Hoſpitalariorumque, quos Cyprio Regi magis cupere audiſſet, prædia in regno ſuo Neapolitano direpta vaſtaverit. Conſulem quoque ibi habuere Piſani, qui majore uſus eſt ambitione, quam ibi quoque Genuenſis aut Venetus utebatur,

Flav.

Flav. Blond. Dec. II. libr. 8. in f. Sed lites infelices finivit Babyloniæ Sultanus, quippe qui Chriſtianis violatarum induciarum reis Ptolemaidæ deſtructionem comminatus eſt, & abactam jumentorum, hominum, rerumque aliarum prædam per nuncios terque quaterque fruſtra repetens, tandem præfixit terminum, intra quem niſi ablata redderent, acceptam ſe injuriam armis vindicaturum. Igitur quum immerſi ſceleribus omnibus milites ipſius minas contemnerent, anno quem rebus reſtituendis præfixerat exacto, centum quinquaginta armatorum millia in Ptolemaidam duce filio immiſit, præſidium & incolas, qui remanſerant, fudit fugavitque, & urbem tertio ab obſidione menſe captam incendio delevit. *Multorum erat opinio, quod ſi fratres domorum ibidem ſcil. Hoſpit. Templ. & Teutonici, & reliquus populus omnino concordaſſet, civitas capta non fuiſſet.* Eberhard. in Annal. ad

 ann.

ann. 1291. *aliqui collegerunt ſe in domibus Templariorum, ſperantes invenire auxilium; ſed deſiderio eorum fraudati, reddiderunt ſe Sultano, qui non ſervans eis pacta, multos occidit, aliquos in Sclavos & Sclavas reſervavit.* Inter ceteros capite fuit truncatus Templi Mareſchalcus. indigne enim Sultanus ferebat quod Chriſtiani interfeciſſent Saracenos Chriſtianas feminas violantes. Tum Magiſter militiæ Templi, Guilielmus de Bellojoco, ſpiculo percuſſus interiit, cum pluribus fratribus, è quorum Collegio nonniſi decem clade elapſos fuiſſe notat *du Freſne* in Gloſſ. Vid. Marin. Sanut. Torſell. lib. 3. p. 12. c. 21. Blond. l. c. Naucler. gen. 44. *Monachus* autem *Gaudini*, Magnus Templi Magiſter ſtatim poſt Acconenſem cladem à decem militibus, qui ex ea ſuperfuerant, electus, in inſulam Cyprum cum iis conceſſit. Et *Templarii qui prius fugerant, Sidonem adeunt,*

eunt, mariſque caſtrum muniunt, ſed Sultani metuentes apparatum bellicum primo ad Tortoſæ inſulam, Cyprum deinde confugerunt. Marin.

Ea ex inſula bellum pro viribus attritis fecere Sultano, Tortoſam quoque cum Almerico Tyri Domino expugnarunt. Quare *Magiſter Templi anno* 1302. *in inſula Tortoſæ ædes aliquas erexit, ibique majorem partem conventus ſui tenebat, ut Turchis pro poſſe noceret: Eodem anno Soldanus Babyloniæ per flumen Tampnis inter galeas & ſithias miſit uſque ad viginti, quæ invenientes circa Tripolin magnum Saracenorum apparatum, eum ad Tortoſæ inſulam conduxerunt: & cum à duabus partibus in inſulam deſcenderent, occurrentes Templarii uſque ad navigia retrocedere coëgerunt: deinde cum ſe ad turrem quandam Templarii reduxiſſent, illi in inſulam ad libitum deſcenderunt: & occupata inſula dixerunt Templariis,*

§. 185. *Fugitivi in Cypro, occupant Tortoſam, iterumque amittunt.*

ut ſe redderent & ſalvis perſonis ad optatum ducerentur locum: illi vero de infidelibus confidentes, in Babylonem captivi ducti ſunt: erant autem CXX. *interfectique ſunt arcerii quingenti, & de minuto populo uſque ad trecentos*, Torſell. lib. 3. p. 13. c. 10. *Tortoſæ* nomen Wilhelmus Tyrius derivat è corrupto vocabulo *Antaradus*, eratque urbs non procul à Damaſco ſita, peramœna, & oppoſita *Arado* munitiſſimo Tripoleos in Phœnicia opido, Tyroque & Sidoni vicino, ædificato, uti tradit Tyrius, ab Arado Canaanis filio qui primus Tripolin inſulam habitaſſe dicatur, *lib.* 22. *cap.* 3.

§. 186. *Thraciam, Peloponeſum, Atticam, Macedoniam deprædantur.* Sub idem tempus pervenere in Siciliam, atque *diſcordia Caroli II. & Friderici Arragonenſis freti, claſſem haud contemnendam inſtruxerunt, inque omnem occaſionem & eventum parati, cum pacem inter Reges factam cernerent* (anno 1302. uti refert Collenut. Hiſt. Neap. l. 5.) *du-*

ductu Rogerii, qui Magiſtratum apud eos inierat, homo ſtrenuus ac ſanguinarius, Thraciam invadunt, deinde expugnata urbe Theſſalonica, totum Helleſpontum atque Peloponeſum deprædati ſunt, in Atticam impetum facientes, quam ferro, igne devaſtatam, una cum urbe Athenarum occupaverunt, Roberto Brenna, qui rebus ibidem præerat, obtruncato. --- Cum Athenas occupaſſent, Macedoniam petierunt, qua etiam pervagata & devaſtata, abacta ingenti præda domum rediere, ac in provinciis Occidentalibus, in cœtus ſe partiti ſunt. Continuat. Tyr. l. 5. c. 13.

Atque ita recenſionem expeditionum, quas Templarii in Aſia præſertim, & aliis mundi regionibus ſuſcepere, ad ea proxime tempora deduximus, quibus ordo ipſorum eſt deletus abrogatusque, quod ſeveriſſimum & valde memorabile fatum ut diſtinctius in fine hujus libelli narremus, §. 187. *Finis Templariorum.*

mus, primum de conſilio extinguendi Templarios, deinde de conſilii ejus executione dicemus, ac tertio denique noſtras obſervationes, quas ſtupendus tantæ rei exitus ſponte ſuppeditat, breviter ſubjungemus.

§. 188. *Auctor excidii illorum Philippus IV.* Conſilium de exſcindendis Templariis, ut Auctores omnes conveniunt, primus cepit, ſive ſponte ſua, ſive aulicorum perſuaſionibus inductus, Philippus IV. Galliæ Rex, cognominatus Pulcher, princeps excelſi animi; quem ut ubique alias, ſic & in negotio oſtendit, quod ei cum Bonifacio VIII. Pontifice Romano interceſſit: cupidus corradendæ pecuniæ ad facienda bella, quibus toto regni curriculo erat implicitus, unde & Judæos regni incolas male mulctavit, bonis eorum anno 1306. publicatis, à civibus nova tributa & vectigalia immiſericorditer exegit, & iniqui ponderis ac pretii monetam cudit.

§. 189. *Et Clemens V.* Sed abolere Ordinem religioſum San-

ſancto Patre, cui is parebat, & à
quo privilegia acceperat, non con-
ſentiente, haud penes Regem ſtabat:
quare cum poſt obitum Benedicti XI.
Cardinales ad Bertrandum Gottum,
Burdegalenſem Archi-Epiſcopum,
Papam eligendum inclinarent, Phi-
lippus ea de re monitus, anno 1305.
cum homine antea ſibi inimico clan-
culum tranſegit, promiſſoque ad
tantam dignitatem conſequendam
auxilio, Virum ambitione flagran-
tem ſibi fecit obnoxium, ut proje-
ctus ad Regis pedes, quæ peteren-
tur, largiter polliceretur. Rex tum
sex ſtipulabatur capita, è quibus in-
dicabat quinque, recenſita à *Bzov.* ad
ann. 1305. n. 1. ſextum autem ſuo
te tempore & loco dicturum promit-
tebat. Id num fuerit Templariorum
extirpatio, quantum mihi equidem
conſtat, hiſtorici diſerte non mo-
nent, teſtantur tamen, Clementem
ex eam Philippo clanculum promi-
ſiſſe.

Duas

§. 190. *Cauſſæ in animo Philippi. Ira in Templarios:* Duas in Regis animo cauſſas invenio, quæ ipſum ad tantum facinus perpulere, alteram quidem iram in Templarios conceptam; alteram vero ſpem lucri ex illorum ſupplicio percipiendi. Quod enim *Thomas Walſingham* in Eduardo II. tradit, Philippum cogitaſſe unum ex filiis ſuis facere Hieroſolymorum Regem omnibus Templariorum reditibus mactandum, id ſuo loco relinquimus. Sane iram Regis incenderat ſeditio, quam Templarii vel excitarant, vel alebant augebantque. Nam *accidit, quod Rex apud Lutetiam Pariſiorum in ædibus quæ curationis Templariorum erant, oborta vulgi ſeditione obſideretur, eo quod monetam illegitimi ponderis excudebat: quo in tumultu cum omnia quæ Regi adferebantur, aut cœno inficerentur, aut raperentur, Templariorum Prior, qui Tholoſanis ædibus præerat, cum Noffa quodam Florentino ejusdem Ordinis, ſed contaminatæ vi-*

tæ viro, neſcio quid vel dicto vel facto imprudentius in Regem moliri viſi ſunt, quod poſtea furore populi mitigato, male illis ceſſit, equidem vinculis mancipati atque in carceres conjecti ſunt ambo, Continuat. Wilh. Tyr. l. c. Mezeræus, ſcriptor ob veritatis amorem & ſapientiam optimis annumerandus, in *Compend. Chronolog.* in Philippo Pulcro, refert, quum anno 1307. iniquæ monetæ vilius prætium ſtatueretur, populum Pariſienſem, moto tumultu ædes Stephani Barbeti quæstoris Regii, ſpoliaſſe ac ſubvertiſſe, deinde ad Templum (ſedem Templariorum) ubi Rex agebat, concurriſſe, centumque in eo petulantia facta patraſſe: notatos Templarios, qui ſeditionem foverint: creditum, id feciſſe, quia pecunia abundantes imminuto ejus pretio non leve damnum patiebantur: veri eſſe ſimile, Regem offenſarum tenaciter memorem, ſervaſſe hujus injuriæ memoriam,

riam, atque præter cæteras cauſſas ad vindictam de toto Ordine ſumendam commoviſſe. *Chronicon Magnum* Noribergæ anno 1493. typis expreſſum, memorat, Jacobum Burgundum Ordinis Magiſtrum, cum Delphini fratre, in Regis indignationem incurriſſe, quo autem caſu, non addit.

§. 191. *Spes lucri.* Iram Philippi nutriiſſe ſpem lucri nemo dubitabit, qui & divitias Templariorum regalibus majores, & Regis inopiam, & ſtudium colligendorum numorum, & inſtructionem belli Flandris Anglisque inferendi, & damnatorum theſauros in fiſcum Regis & Pontificis redactos conſideraverit. Quando autem Clemens V. in Epiſtola ad Ravennatenſem & Piſanum Archi-Epiſcopos, atque ad Florentinum & Cremonenſem Epiſcopos hac de cauſſa data, Philippum ab ea ſuſpicione vult liberare, profecto accuſationem infitiando; firmare potius quam depellere videtur. *Deinde*

de vero (ſcribit ad eos apud Bzov.) *chariſſimus in Chriſto filius noſter, Philippus Rex Francorum illuſtris, cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil ſibi vendicare vel appropriare intendat, imo ea per deputandos à nobis ſuper hoc generaliter, & per prælatos Regni Franciæ in ſuis diœceſibus adminiſtranda & gubernanda in regno ſuo dimiſit; manum ſuam exinde totaliter amovendo; ſed fidei orthodoxæ fervore, ſuorum progenitorum veſtigia clara ſequens, accenſus* &c. Myſterio autem, ſi recte judico, non caruit, quod paulo ante condemnationem Templariorum, teſte *Puteano*, Gallus edidit libellum, quo probare contendit, opes Templariorum non facere ad terram ſanctam poſſidendam occupandamve, proindeque Dominis antiquis eripiendas eſſe. Paulus quoque Æmylius in Philippo Pulcro

 fa-

fatetur, *in Poſſeſſionem Templariorum bonorum Regium fiſcum iviſſe, rebus moventibus à fiſco retentis.*

§. 192. *Occaſio conſilii exequendi, accuſatio duorum Templariorum.* Optatam conſilii exequendi occaſionem præbuere duo Templarii; quos tumultus Pariſienſis complices in carcerem eſſe conjectos nuper memoravimus. Etenim *cum inaudiiſſent, ſeditionis autores ad triginta correptos, laqueo vitam finiiſſe, ut vitam redimerent, ſe habere, ſi ſalute data abire permitterentur, quod Regi & utile & quæſtuoſum deferrent, indicabant. Impunitate promiſſa, Templarios omnes dicunt, cum Sarracenis inito fœdere, abjurataque quoque Chriſtiana religione Mahumetem colere, ſtruereque principibus omnibus extremam perniciem. Simulachro cuidam, cui pellis humana ſuperinducta eſſet, illos ſacrificare, ineſſe autem eidem ſtatuæ, oculorum loco, carbunculos duos ardentiſſimos,*

mos, eamque pinguedine recens ex coitu Templariorum natarum & exuſtarum puellarum, quotidie inungi. Ad hanc unusquisque ordinem ipſorum profeſſurus, Chriſtum abnegare, crucisque ſignum conculcare pedibus adigatur. Morientium cadavera apud eos in cinerem reſolvi, eamque in potum inter eos abſumi, conſtantiæ & ſilentii experimentum inde capientes. Maſcula indifferentique venere eos uti. Multa in Syria contra omnes Chriſtianos eos conatos eſſe. Divum Ludovicum apud Damiatam eorum dolo in vincula Soldani veniſſe. Continuat. Tyr. l. c.

Accuſationis capita Procurator Fiſci ad Regem ſcripta Pictavium miſit, quæ ille avaritia motus pro veris habuit, delatoribus venia & libertate donatis, effecitque apud Pontificem, ut Ordinis illius everſionem polliceretur. Bzov. ad ann. 1307. n. 4. Clemens pri- §. 193. *à Philippo Rege avare arrepta.*

 mum

mum Pontificatus annum Burdigalæ, ſecundum Pictavii tranſegerat, tertio autem, qui erat Æ. C. 1308. ad evitandas aulæ Francicæ petitiones importunas, ſedem Apoſtolicam Avinionem, Carolo Siciliæ Regi & Romano Epiſcopo clientelari fide obſtricto tum ſubjectam, tranſtulit. Cæterum quod ait *Bzovius*, Philippum avaritia motum accuſationem Templariorum pro vera habuiſſe, juvat repetere ad refellenda ea, quæ ad ann. 1308. ex Clementis Papæ mente notavit n. 4. Philippus ea *in re nullum ſuum commodum ſequebatur, cum nihil de ipſorum bonis ſibi intercipere cogitaret, quippe qui omnia quæ in ipſius ditione reperirentur, Romanæ ſedis arbitrio adminiſtranda atque collocanda permiſerat.* Nauclerus quoque de Philippi Regis abſtinentia non tam ſenſit clementer, ac Romanus Epiſcopus. *Atqui* (ait gen. 44.) *video ſcriptores quoſdam non tam improbare*

bare funeſtam Templariorum religionem, quam Franci Regis avariciam, cujus cauſſa dicunt hanc ortam eſſe factionem. Denique Papa Clemens bona Templariorum applicavit manſioni S. Johannis ſeu Hoſpitalis. Sed quia jam occupata fuerant à Rege, & diverſis aliis principibus, oportuit ea redimi multa pecunia. Quin Chronicon Germanicum Auguſtæ Vindel. anno 1476. typis excuſum, Clementem non minus quam Regem Franciæ avaritia commotum deleviſſe Templarios ſcribit. Verba ejus in Latinum tranſlata ſermonem ita ſonant in Clem. V. *Papa hic & Ludovicus Franciæ Rex* (ſive in nomine errat Auctor, ſive Ludovicum X. Philippi Pulcri filium & ſucceſſorem intelligit) *bene conveniebant, nam uterque erat avarus, ideo Templariorum ordinem abrogabant delebantque: Papa enim & Rex cupiebant ſibi Ordinis ejus bona ven-*

care, ſicut & faciebant in locis commodis. --- Bona quæ poſſidebant in locis Papæ & Regi incommodis, dabantur S. Johannis Ordini. Certe *Paulus Merula* ex vetuſtis ſcriptoribus memorat, Papam & Galliæ Regem cum Regibus Hiſpaniæ & Angliæ ſine mora Templariorum bona invaſiſſe, ut nulla fere aut valde exigua illorum portio S. Johannis & S. Jacobi equitibus ceſſerit. *in Hiſt. Eccl. & Civil.* Thomas quoque *Walſingham* in Eduard. II. teſtatur, Pontificem reditus militum templi non ſine magnæ pecuniæ interventu Hoſpitalariis aſſignaſſe.

§. 194. *Momentum cauſſa Templariorum.* Verane an ficta fuerint crimina, de quibus accuſabantur Templarii, quæſtio eſt, cujus recta definitio ad intelligendas judiciorum Dei rationes multum facit. Nam ſi omnino erant innocentes, negari haud poterit, Pontificem Romanum; & reliquos Eccleſiæ Antiſtites in Synodo coactos, reorum cauſſas iniqua interdum

dum lance ponderare, & ira, odio, invidia, avaritia, aliiſve affectibus abreptos, vel ignorantia, credulitate & ſuſpicione occupatos judicare. Quod ſi vero ſive omnia ſive aliqua patravere ſcelera, quorum inſimulabantur aut omnes, aut ſinguli, aut plerique: ii, qui conqueruntur, Romanæ Catholicæ Eccleſiæ, cum caput tum membra, cum Clericos tum Laicos, & Ordines religioſos cum monaſticos tum militares, vitam aliquando vixiſſe turpiſſimam, ſanctaque cum veritate inſociabilem, invictum habent argumentum, quo partem accuſationis iſtius confirment. Quod ſi denique infauſtus ordo ſine omnium & ſingulorum culpa eſt abolitus, invidia potentiaque & calumnia oppreſſus: is, qui rem altius ſecum repetet, facile hinc colliget, Ordinis inſtitutum Deo non placuiſſe, eoque nec peregrinationes religioſas, nec inſanam poſſidendæ Palæſtinæ cupiditatem gratam acceptamque fuiſſe.

§. 195. *Culpantur:* Difficile eſt, ex Hiſtoricorum teſtimoniis ad tanti momenti quæſtionem bene definiendam certi quid afferre: nam laudantur ab his, culpantur ab illis. Male audiunt Hainrico Steroni in Annalib. ad ann. 1307. III. *idus Octobris capti fuerunt primo Templarii ubique in regno Franciæ inopinate, propter profanam impietatem ipſorum, & exſpuitionem ſuper in oppobrium crucifixi: fueruntque plures ex eis de majoribus illius ordinis confeſſi ritum excuſabilem* (legendum puto, *execrabilem*) *quæ à nemine potuerunt unquam ſciri. plurimi tunc ex iis licet ſubjecti tormentis, talia confiteri nolebant. Demum Clemens V. Papa, & Cardinales, quibus hujuſmodi profana profeſſio incredibilis credebatur, certiorati ex confeſſione ipſorum Templariorum, mandavit, Templarios ubique capi & inquiri contra ipſos.* Pariter *Flav. Blond.* ſcriptor Pio II. Pontifici

ſici æqualis eos condemnat. *Majoris mali fomes* (ſcribit Dec. II. l. 9. ad ann. 1307.) *Templarii multis ante annis in Aſiæ bellis, quæ adverſus infideles geſta ſunt, convicti omnium pernicioſiſſimi; Chriſtum enim ſpernentes blaſphemanteſque, ac penitus deridentes, pro quo pugnare conſueverant, eos Turcis & Saracenis conſenſiſſe, & noſtrorum expeditionibus fuiſſe adverſatos conſtitit. Unde multis eorum vario affectis ſupplicio, cæteri omnes prædiis reditibuſque & bonis quæ poſſidebant ampliſſimis ſpoliati ſunt.* Volaterr. qui vixit ætate Julii II. l. 21. *Sed ex bonis initiis peſſima exempla ſubſecuta: quippe qui eo paulatim impudicitiæ perveniſſent, ut nova excitata ſecta, libidinem in mares publice conſectarentur, ſimulacro etiam cui ſacrificarent conſtituto. Cineres hominis fortis in bello extincti potarent, audaciores eo ſe pacto fieri exiſti-*

mantes, aliaque nefanda inter eos patrata. Quapropter anno 1312. *à Clemente V. hic ordo ſublatus, eorumque bona ex magna parte S. Johannis militibus tradita.* Albertus Krantzius Hiſtoricus fide & prudentia inſignis itidem contra noſtros equites pronunciat: Eodem ferme tempore, ait l. 9. Metrop. c. 6. *Templarii qui ſe per Gallias & Hiſpanias diffuderant, poſteaquam ſubacta Ptolemaida ſunt expulſi terra ſancta, deprehenſi in perfidia & execratione crucis Chriſti, exterminantur uno die, rebus ante præparatis per Clementem ſummum Pontificem, apud Reges Franciæ & Hiſpaniæ: alioqui multarum arcium & præſidiorum Domini non tam facile poterant ſubverti. Magiſter ordinis cum quibusdam Præceptoribus ductus Pariſiorum in urbem, ibi ignem eſt expertus ultorem. Non deerant qui cum illis & pro illis loquebantur, injuriam il-*

lis

lis irrogari, quod arcibus & præſidiis multis, quæ deſiderarentur, præeſſent. Sed cui poteſt veriſimile videri, ſummum Pontificem & Reges locupletiſſimos, nonniſi evidentiſſimis rebus convictos perdere milites, qui titulum præferrent Chriſti? Et cap. 7. *qui temporum ſeriem ordinat Deus, ita rem digeſſit, ut quum Templarii pro ſua nequitia interirent, Joannis milites ſuccreſcerent, non tunc primum inſtituti, quippe qui diu Hieroſolymis pugnabant: acceptis munificentia Principum præſidiis Templariorum, opibus, viribus, & nomine ſunt vehementer adaucti, illorumque virtute ſtetit in hunc diem Chriſtianiſmus qualiſcunque in oriente.* Sic & Philipp. Bergom. in Chron. lib. 12. Append. ad Chron. Mart. Polon. Polyd. Vergil. de Invent. Rer. lib. 7. c. 5. Rolewink. in Faſc. Temp. Genebrard. in Chron. aliique ſcriptores plures, in primis Galli.

Ela-

§. 196. *Etiam à P. Puteano.* Elapſo proxime ſeculo *Petrus Puteanus* Bibliothecarius Regius lingua Gallica edidit *Hiſtoriam condemnationis Templariorum*, quam verius Apologiam Philippi IV. contra Templariorum manes inſcripſiſſet, quippe qua aliud nihil intendit, niſi oſtendere ex Actis in ea cauſſa, quod Rex non amore pecuniæ, ſed religionis & pietatis & juſtitiæ ſtudio tam divitem Ordinem condemnarit vel condemnari fecerit, uti principium finisque libelli ſcopum ſcriptoris manifeſte indicat. Platina iis ſaltem exprobrat defectionem ad Saracenos. *Reſcitum quoque eodem fere tempore eſt* (ait in Clem. V.) *Templarios olim Chriſti milites à noſtris ad Sarracenos defeciſſe. Hanc ob rem interfecti illi ſunt, qui comprehendi potuere.* Saraceni certe qui apud Templarios agebant, libere ſua faciebant ſacra: nam Fridericus II. Imperator in Epiſt. ad Richardum Cornubiæ Comitem data, conqueritur diſerte, quod ſicut

ſicut ipſi *per nonnullos religioſos, venientes de partibus transmarinis, conſtitit evidenter, infra clauſtra domorum Templi, Soldanos & ſuos cum alacritate pompoſa receptos, ſuperſtitiones ſuas, cum invocatione Machometi, & luxus ſeculares facere Templarii paterentur.* Matth. Paris in Henr. III. ad. ann. 1244.

At Trithemius Abbas noluit omnem culpam in accuſatos transferre. Nam in Chron. Hirſaug. ſcribit ad ann. 1311. *Ordo Templariorum, qui annis ferme* 184. *ſteterat, ab ipſo Clemente Papa condemnatus fuit, & uno die per univerſum orbem deletus, ad inſtantiam Philippi Regis Francorum, cujus promotione ipſe Papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarii valde divites, quorum poſſeſſiones ut Rex ſibi acquireret, crimen iis hæreſeos falſum impoſuit, ut multi voluerunt, & extingui omnino paravit.* §. 197. *Excuſantur.*

vit. Et in Chron. Sponh. ad ann. 1307. *Eodem anno Clemens Papa V. in concilio Vienenſi Ordinem Templariorum, qui per annos ferme 184. à fundatione ſua duraverat, annullavit & deſtruxit. Impingebatur eis, quod in ſua profeſſione Chriſtum abnegarent; quod utrum verum an falſum ſit; non eſt noſtrum judicare.* Wilhelmus Heda noſtros equites fere innocentes pronunciat in Hiſtor. Epiſcopor. Ultraject. *Circa hæc tempora. anno videl.* 1308. *delentur per orbem univerſum Profeſſores quos Templarios à cuſtodia templi Hieroſolymitani vocitant conſenſu Romani Pontificis, atque Regis Franciæ, plus invidia opum quibus abundabant, quam criminis alterius damnati.* Hermannus Minorita, uti refert *Hoſpinian.* & *Wolf.* ex Paralip. Urſperg. teſtatur in Chron. MS. Templarios à Papa Clemente in favorem Regis Galliæ hæreſeos crimine falſo & in-

vi-

vidioſe notatos fuiſſe. Addit *Antoninus*, multa adverſa huic Regi & filiis ejus accidiſſe, quæ creditum ſit, ipſis ob injuſtam Templariorum necem Deum immiſiſſe. *Peucerus* in Chron. Carion. l. 5. ſuum cuique de his judicium permittit, conficta tamen putat de religionibus, quæ iis tribuuntur, ut ſævitiæ exemplum ſpecie honeſtiore ad vulgus excuſaretur: conjecturis de libidinibus & proditionibus facile aſſentitur. Præcipuam autem ratiocinatur fuiſſe cauſam deletionis, magnitudinem potentiæ & opum, quæ Monachis orbis Chriſtiani & formidabilis & intolerabilis erat.

Non juvat plura aliorum de juſta ſive injuſta Templariorum cauſſa cumulare teſtimonia, quæ legi poſſunt apud *Camer*. Cent. 3. cap. 90. Hor. ſubc. Sed quid in ea nobis videatur verum, quid falſum, quid certum, quid incertum, quid veri ſimile, quid item diſſimile: breviter jam & quan-

§. 198. Inquiritur in verum cauſſæ ſtatum.

quantum licebit diligenter trademus; neque alio fine, niſi ut præterita Dei judicia recte intelligamus; & de futuris eo prudentius opinari diſcamus.

§. 199. *Templariorum luxus & libidines.*

Primo itaque non tantum probabile ſed & certum eſſe exiſtimo; univerſum Templariorum Ordinem; poſtquam ingentia ſumſit incrementa, luxui, intemperantiæ, ebrietati, impudicitiæ & libidinibus ſeſe immerſiſſe, quæ vitia plerumque ſolent divitiæ generare. Hæc enim tum erat Clericorum, Monachorum, Canonicorum, Epiſcoporum, Cardinalium; ipſorumque Pontificum Romanorum vita, quo de probatiſſimæ apud plurimos ſcriptores extant querelæ, ut ſi abſtinentius, ſi caſtius vivere noſtri milites voluiſſent, per ſeculorum infelicitatem ſine miraculo non potuiſſent. Continuatio ſpeculi hiſtorial. *quantum autem ordo Templariorum augebatur, tantum nunc minuebatur & ſanctitas.*

tas. Chron. Noriberg. *Quamdiu in paupertate & obſervantiæ regula vivebant, ſanctitate & virtutibus regnabant: quamprimum autem divitiis abundare cæperant, paulatim voluptas & avaritia eos invadebat: inde prolapſi à virtutibus ad vitia, hinc ad excidium.* Johannes de Serres in Philippo Pulcro ſcribit prudenter: *Templarios Orbis Chriſtiani poſitos cuſtodes tam legis evaſiſſe negligentes & depravatos, ut exterminari debuerint: ſicuti Philippus fecerit in Gallia.* Et Mezeræus judicat, *divitias, avaritiam, faſtum erga Principes & Dominos in terram Sanctam proficiſcentes, vitam diſſolutam libidinemque eos omnibus reddidiſſe exoſos.* Quæ duorum Auctorum, licet valde recentium, teſtimonia, ob rerum peritiam & candorem, quibus ſe Lectori commendant, negligi haud poſſe arbitror. Convitium autem exiſtimo eſſe quod tradit Thomas Walſingham, reci-

piendi fratris nudatis natibus oſcula dari ſolita.

§. 200. *Venus maſcula.* Quamvis forſan Venerem maſculam Ordini Templariorum, quibus per factum continentiæ votum ducere uxorem non licebat, haud fuiſſe incognitam, facile crediderit, qui recordabitur, Sodomiticum ſcelus, igne divinitus immiſſo quondam punitum, diutiſſime in Galliis, Hiſpaniis & Italia pro *peccatillo* habitum, quin & carmine à Jo. Caſa, Archi-Epiſcopo Beneventano laudatum, atque ipſis à Regibus, & Papis, Cardinalibus, Epiſcopis, aliiſve cælibatus voto adſtrictis ſæpe patratum eſſe, cujus nefandæ rei exempla ex Annalibus repetere me pudet, præſertim quum apud omnes in confeſſo ſit. Ceterum in Angliæ concilio provinciali, *Thoma Walſinghamo* referente in Eduardo II. Templarii capti & Sodomitici criminis accuſati *fatebantur famam, non factum, præter unum aut duos ribaldos.*

Ne-

Neque tertio illud infitiamur, §. 201.
Templarios ſemel atque iterum Chri- *Proditio Friderici*
ſtianam rem Saracenis prodidiſſe, *II.*
quum ſervandæ potentiæ ſuæ, retinendiſque & augendis opibus à Peregrinatoribus religioſis metuerunt. Continuator ſpeculi Hiſtorialis à *Vincentio Bellovacenſi* Epiſcopo ſecundum Voſſium ad ann. MCCXLII. perducti, monet diſerte, conſtitiſſe quod Turcis & Saracenis conſenſerint, ac noſtrorum expeditionibus in Palæſtina adverſati ſint. Atque *Matthæus Paris* mentionem facit cujusdam Templarii (*Ferrandus* vocabatur) qui iratus ob equum nobilem violenter ſibi ablatum ad Saracenos transfugit, & amiſſæ Damiatæ autor extitit. Ita *Matthæus Paris* in Henrico III. ad ann. 1229. ample teſtatur; eos Friderici II. Imperatoris conſilia in Oriente expedienda ad Suldanum perſcripſiſſe, partim invidia & avaritia motos, partim amore Papæ; quem Friderico

eſſe infeſtum noverant, inductos: Suldanum autem ipſam Templariorum Epiſtolam Imperatori miſiſſe, ut Chriſtianorum inde fraudes inſidiasque doloſas cerneret: Templarios deinde Patriarcham Hieroſolymitanum in ſuas pertraxiſſe partes, & effeciſſe, ut datis in Occidentem literis ipſos excuſaret, atque de fama Imperatoris detraheret. Merentur heic adſcribi graviſſima *Matthæi Par.* verba quæ habet ad. ann. 1228. pag. 258. *His autem ſic Deo diſpenſante ordinatis, invidente antiquo ſeminatore ſchismatum & diſcordiarum Sathana, incolæ terræ, præcipue Templarii & Hoſpitalarii, invidentes factis Imperatoris, ſumſerunt cornua ex odio papali. Audierunt enim quod jam Papa Imperium hoſtiliter invaſerat. Volentes igitur omnia magnalia hæc eis aſcribi, qui à tota Chriſtianitate tot proventus recipiunt, & ad ſolummodo terram ſan-*

ctam

ctam defendendam tantos reditus inglutiunt; & quaſi in voragine barathri demergunt: ſignificaverunt ſubdole ac proditioſe Soldano Babyloniæ quod Imperator propoſuit adire flumen ubi Chriſtus baptizatus eſt a Johanne Baptiſta; ibidem Chriſti veſtigia, & præcurſoris ejuſdem (quo non major ſurrexit inter natos mulierum) pedes & in laneis cum parvo comitatu clam humiliter adoraturus: & ibidem poſſet ad votum eundem Imperatorem vel capere vel trucidare. Quod cum audiret Soldanus memoratus, & ſuper hoc chartam noto ſibi ſigillo ſignatam conſpexiſſet; deteſtatus eſt Chriſtianorum verſutiam, invidiam & proditionem, & maxime eorum qui videbantur habitum religionis cum crucis charactere bajulare: & advocans duos ſecretiſſimos ac diſcretos conſiliarios, inſtillavit auribus illorum univerſa, oſtendens eis epiſtolam, cui adhuc ſignum adhærebat,

& *ait:* Ecce fidelitas Chriſtianorum. *Inſpectiſque literis poſt longam ac diligentem deliberationem, ſic reſponderunt: Domine inita eſt pax utrobique beneplacita, quam violare facinoroſum foret: ſed ad omnium Chriſtianorum confuſionem mittatis hanc Epiſtolam cum ſigno adhærenti ipſi Imperatori; & erit vobis amiciſſimus, & merito. Quorum conſiliis Soldanus obtemperans, miſit dictam epiſtolam Imperatori, & omnem dolorem prælocutum ei denunciavit.* Anno 1283. Saraceni prope Sidonem aliquos de exercitu Regis Cypri interemerunt, alios cum beſtiis captivos abduxerunt, quod *opus eſſe Templariorum de Sidone Rex intellexit*, Marin.

§. 202. *Hoc tamen flagitium jam olim commiſſum.* Verum recenter admodum, & brevi ante condemnationem Ordinis id commiſiſſe flagitium; nuſquam in hiſtoriis invenio, neque etiam credere poſſum, quum cogito, eos a Babyloniis & Ægyptiis ſubinde cæſos, fuſos,

ſos, fugatosque, & toto procul ex Oriente ejectos eſſe, ut in ſuperioribus manifeſtum fecimus. Equidem pacem induciasve cum hoſtibus interdum aut optarunt aut concluſerunt: ſed ſtudio rei Chriſtianæ tutandæ conſervandæque, quod arma ſua divinitus non adjuvari, & Barbaros viribus longe eſſe ſuperiores cernerent.

Fatemur quoque præter abuſum divitiarum perpetuas ipſorum cum Hoſpitalariis aliiſve Latinis diſcordias rei Chriſtianæ admodum fuiſſe noxias, ſecundum querelam ignoti *Autoris* de recuperatione terræ ſanctæ. *Hoſpitalarii*, ait, *Templarii aliique religioſi propter terræ Sanctæ ſubſidium & præſidium inſtituti citra Mare Mediterraneum tot habent reditus, proventus & poſſeſſiones, quæ jam pridem parum profecerunt terræ ſanctæ. Idcirco quoniam imminente neceſſitate pluries contra ſe invicem diviſi fuerunt, & ob hoc* §. 203. *Diſcordia cum Hoſpitalar.*

confuſi, ipſorumque religiones, cum graviſſimis ſcandalis, ludibriis expoſitæ --- Theſaurus annuus magnus erit, per cujus magnitudinem mala fides Templariorum & Hoſpitaliorum apparebit, & qualiter hactenus ipſa re terram ſanctam prodiderunt, & in ipſam peccaverunt.

§. 204. *Defectio a Chriſto.* Quarto probat ex Actis *Puteanus*, conſtanter nonnullos adfirmaſſe: quod Chriſtum abnegaſſent: at qui propterea integrum Ordinem defectionis à Religione Chriſtiana accuſat, non ratiocinatur rectius atque ille, qui concludit, univerſum Venetorum exercitum Muhamedana ſuſcepiſſe ſacra, quia unus alterve ex eo miles ad Turcos transfugit, ſeque circumcidi fecit. Certe Marinus Sanutus *Priorem* laudat Templariorum qui a Bendocdare in Caſtro Saphet anno 1266. captus excoriari & fuſtigari quam abnegato Chriſto Saracenicam legem ſuſcipere maluit. *l.* 3. *part.* 12. c. 8. De formula, qua recipiendus

in

inCollegium Templarius, præter ceteros articulos, jurare debuerit: *ſe credere in Deum Creatorem neque mortuum neque moriturum*, dicere nihil habeo: neque etiam de adorato capite inaurato; de conculcata cruce, deque potu cineris e mortuo cadavere collecti quicquam legitur apud *Torſellum*, quanquam is faſtum, avaritiam, latrocinia aliaque Templariorum vitia diligenter annotavit. Tamen *Thomas Walſingham* iis exprobratum monet: quod crucem conſpuerint, & in terram projecerint: quod idoli caput adorarint: quod Jeſum Chriſtum non eſſe de cruce ſuſpenſum, ſed quendam falſum profetam, per Judæos ob delicta morti devotum crediderint id ſupplicium toleraſſe. Sed paulo eſt hic autor noſtris Equitibus iniquior. Primis certe Chriſtianis, atque poſtea iis, qui ex Romana Catholica Eccleſia exivere, eadem vel ſimilia crimina per calumniam eſſe impacta conſtat: quod

tamen monens, milites noſtros cum iis comparare nolo.

§. 205. *Non omnium ſed aliquorum.* Quinto, quum Societatem Templariorum ream peragimus ſupra notatorum criminum, minime intelligimus, patrata ea ſingulis a membris eſſe ita ut ne unus quidem innocens inter tot nocentes extiterit. Nam in corruptiſſimis cœtibus, Ordinibus & Collegiis præſervare nonnullos benignus Deus a graſſanti late ſolet impietate, ut mundum ſceleribus immerſum reprehendant, hortentur, corrigant, ſuoque exemplo ad reſipiſcentiam & vitæ emendationem invitent, quemadmodum fatemur lubentes Deoque gratias agentes, ante Lutheri tempora; in media ſcelerum omnium corruptelarumque colluvie, vixiſſe Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes ac Monachos pios: qui depravatiſſimum Eccleſiæ ſtatum deplorarint, fratreſque & ſocios peccatis turpiſſime indulgentes a perditiſſimis moribus retrahere, atque ad meliorem men-

mentem convertere conati ſint. Ipſe *Puteanus* l. c. refert, in Aragonia petiiſſe Templarios, ut rei ex ipſis merita pœna afficerentur, innocentes autem liberi ſalvique dimitterentur: quæ certe petitio uti fuit juſtiſſima & æquiſſima, ſic & quintum hoc reſponſionis noſtræ caput confirmat.

Sexto, ſi accuſationem, defenſionem & condemnationem infelicium reorum attentioribus intuemur oculis, ubique deprehendimus argumenta, quæ ad minuendam illorum culpam pertinent. Nam ordinem accuſavere ſociorum aliqui, ex eodem ob vitam impiam prius ejecti, uti acerbe captivos Templarios eſſe conqueſtos teſtatur Puteanus: & conſentiunt ſcriptores omnes, Priorem Monfalconis & Noffum Florentinum, Actores primos, propter vitam ſceleratam, & Priorem quidem Magiſtri indicio, in carcerem conjectos, pacta ſalute & impunitate Templarios ad

§. 206. *Conſideratur accuſatio, defenſio & condemnatio.*

ad Philippum detuliſſe. Jam ad defenſionem quod attinet, quidam objecta Ordini crimina agnovere nunquam, alii ſunt faſſi torturæ vi mortiſque metu ſuperati, aut pecunia & promiſſionibus expugnati, quæ poſt revocarunt: alii quum incolumitatem Rex promitteret, ſi crimina Ordinis faterentur, abſolvére eundem conſtanter, contemtis pollicitationibus: alii denique mediis in flammis de innocentia proteſtati ſunt: uti fuſe apud *Puteanum* legere eſt. Formula Bullæ Ordinem condemnantis, & in ſeſſione ſecunda Synodi Viennenſis promulgatæ, rigidum juris tenorem in illa cauſſa ſervatum non eſſe, manifeſte arguit: aboleri ſc. Ordinem a Patribus in Concilio congregatis, *non per formam ſententiæ definitivæ, cum eam ſuper hoc ſecundum inquiſitiones & proceſſus ſuper his habitos non poſſemus ferre de jure, ſed per viam proviſionis ſeu ordinationis Apoſtolicæ.* Quibus con-

congruenter *narrat Albericus de Roſate, ſe audiviſſe a quodam cauſæ & teſtium in eos examinatore, contra juſtitiam illos punitos, hacque de re monitum Clementem V. reſpondiſſe: Etſi via juſtitiæ ordo ille deſtrui non poſſit, fiat tamen via expedientiæ, ne ſcandalizetur carus filius noſter Rex Galliæ*, Camerar. Oper. ſubciſ. cent. 3. c. 90. Neque diffitetur Krantzius, Papam autoritate Regis Franciæ, Angliæ & Hiſpaniarum fractum conſenſiſſe in Templariorum condemnationem. *Per omne regnum Franciæ capti ſunt Templarii, annitente Clemente V. Romano Pontifice, qui hoc ſecretis apud Reges Franciæ & Hiſpaniarum nunciis egit, quum detecta eſſet eorum perfidia, & in crucifixum dominum blaſphemia. Nemo levem putet occaſionem ſubvertendi ordinis, quem ante Romana Eccleſia tantis evexit privilegiis. Regibus, Franciæ, Angliæ, Hiſpani-*

niarum (apud quos in regnis demorabantur, extruſi terra ſancta) ea primum væſania perclaruit. Illi nunciis apud Clementem detexerant; Pontifice mirante: ſed vicit eum conſonum a tribus Regibus teſtimonium. Et ut res fieret conſpectior; pertracti ſunt ex his nonnulli ad Pontificem, qui execrationem Chriſti faterentur. Alii tamen quæſtionibus ſubjecti nihil omnino fateri voluerunt: nec poterat a robuſtioribus ulla quæſtionibus confeſſio extorqueri. Unde factum eſt, ut multi fabularentur propter prædia & arces quas tenuerant in regnis, Reges in eos conſpiraſſe. Sed vanum vulgus æque ad credulitatem fabulationemque promtum eſt atque temerarium. Vandal. l. 7.

§. 207. *Crimina Templariis objecta in Ep. Clem. V.* Operæ pretium me facere exiſtimo, ſi hoc loco repræſentem ipſam Romani Pontificis ad Philippum epiſtolam, qua crimina Templariis intentata recenſentur: extat ea in parte ſecunda tomi XI. Concil. Labb. EPI-

EPISTOLA

CLEMENTIS PAPÆ V. ad Galliarum Regem,

Cariſſimo in Chriſto Filio Philippo regi Francorum illuſtri.

REgnans in cœlis triumphans eccleſia, cujus Paſtor eſt Pater æternus cui Sanctorum miniſtrant agmina, & laudis gloriam angelorum chori decantant, in terris ad ſui ſimilitudinem & repreſentationem conſtituit eccleſiam militantem, unigenito Filio Dei vivi Domino Jeſu Chriſto ineffabili commercio copulatam, in qua idem unigenitus Dei Filius a Patre progrediens per illuſtrationem paracleti, procedentis pariter ab utroque, ſtatuit fidei fundamentum. Sane Romana Eccleſia, mater alma fidelium, caput eſt, diſponente Domino, Eccleſiarum aliarum omnium,

&

& magiſtra; a qua veluti a primitivo fonte, ad ſingulas alias ejuſdem fidei rivuli derivantur, ad cujus regimen, voluit Chriſti Clementia Romanum Pontificem vice ſui deputare miniſtrum, ut inſtructionem & doctrinam ipſius eloquio veritatis Evangelicæ traditam cuncti renati fonte baptiſmatis teneant & conſervent: ut qui ſub hac doctrina curſum vitæ recte peregerint, ſalvi fiant; qui vero ab ea deviaverint, condemnentur. Ipſa nempe Romana mater Eccleſia juxta exigentiam poſſibilitatis ipſius ad cunctas orbis provincias, in quibus divini hominis cultus viget, fideique Catholicæ obſervantia rutilat, intuitum ſedulæ conſiderationis extendens ac ſubjiciens ab olim ſuæ conſiderationis examini diuturnæ calamitatis anguſtias illius Specialis hereditatis dominicæ, videlicet terræ Sanctæ ab infidelibus, miſerabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni Filius noſtræ carnis indumento conte-

tectus, ſalutem humani generis pietate ineffabili exſtitit, operatus, quamque ſua ipſe voluit præſentia corporali inſignire, & proprii aſperſione ſanguinis conſecrare; multa ſolicitudine ſtuduit eidem terræ retroactis temporibus, quibus potuit remediis, ut eriperet ab ipſis impiis, ſubvenire. Et quia inter cæteros, quos profeſſio Chriſtianæ religionis includit, milites, & fratres domus militiæ templi Hieroſolymitani, ſicut eſt toti orbi notorium tanquam ſpecialis ejuſdem fidei pugiles & jam dictæ terræ præcipui defenſores, ipſius terræ negotium principaliter gerere videbantur: Ipſos & eorum ordinem, præfata Eccleſia ſpecialis favoris plenitudine proſequens, eos adverſus Chriſti hoſtes crucis armavit ſignaculo, multis exaltavit honoribus, ditavit facultatibus, ac diverſis libertatibus & privilegiis communivit. Illi nimirum cum crederentur in Domini ſervitio ſub regulari habitu fideliter militare ſi-

bi, quaſi cunctorum manus fidelium cum multiplici erogatione bonorum ſentiebant multifarie, multiſque modis propterea adjutrices. Sed, proh dolor! nova & calamitoſa vox de malignitatis fratrum ipſorum enormitate progrediens, noſtrum replevit, imo verius perturbavit auditum. Hæc enim vox nuncia lamentationis & gemitus, audientibus horrorem ingerit, commovet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Chriſtianæ cultoribus novæ & ineffabilis amaritudinis calicem ſubminiſtrat: & dum facti ſeriem, ejus neceſſitate poſcente, depromimus, noſter attenuatur præ anguſtia ſpiritus, & valetudinis fatigata confractibus, membra ſingula præ nimio dolore tabeſcunt. Dudum ſiquidem circa noſtræ promotionis ad apicem ſummi pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum ubi recepimus noſtræ coronationis inſignia, veniremus, & poſt, tam ibi quam alibi, ſecreta quorundam

dam nobis inſinuatio intimavit, quod magiſter, præceptores & alii fratres dictæ militiæ templi, & etiam ipſe ordo, qui ad defenſionem patrimonii ipſius domini noſtri Jeſu Chriſti fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipſum dominum in ſcelus Apoſtaſiæ nefandum, deteſtabile idololatriæ vitium, exſecrabile facinus Sodomorum, & hæreſes varias erant lapſi. Sed quia veriſimile non erat nec credibile videbatur, quod viri tam religioſi, qui præcipue pro Chriſti nomine ſuum ſæpe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in divinis officiis, quam in jejuniis, & aliis obſervantiis, devotionis ſigna, frequentius prætendebant, ſuæ ſic eſſent ſalutis immemores, quod talia perpetrarent; hujusmodi inſinuationi ac delationi ipſorum, ejuſdem domini noſtri exemplis, & Canonicæ ſcripturæ

doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde vero tu, cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil tibi vindicare, vel appropriare intendas, imo ea nobis & eccleſiæ per deputandos ſuper hoc a nobis, adminiſtranda, gubernanda, conſervanda, & cuſtodienda liberaliter & devote in regno tuo dimiſiſti, manum tuam exinde totaliter amovendo; ſed fidei orthodoxæ fervore tuorum primogenitorum veſtigia clara ſequens, accenſus, de præmiſſis, quantum licite potuiſti, te informans, ad inſtruendum & informandum nos ſuper iis, multas & magnas nobis informationes per tuos nuncios & litteras deſtinaſti. Infamia vero contra Templarios ipſos increbeſcente validius ſuper ſceleribus ante dictis: & quia etiam quidam miles ejuſdem ordinis, magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis ſecreto jura-

ratus depoſuit, quod in receptione fratrum præfati ordinis, hæc conſuetudo, vel verius corruptela, ſervatur, quod ad recipientis vel ab eo deputati ſuggeſtionem, qui recipitur, Chriſtum Jeſum negat, & ſuper crucem ſibi oſtenſam ſpuit in vituperationem Crucifixi; & quædam alia faciunt recipiens & receptus, quæ non ſunt licita, nec humanæ conveniunt honeſtati, prout ipſe tum confeſſus exſtitit coram nobis: urgente nos ad id officii noſtri debito vitare nequivimus, quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica deferente, ac clamoſa inſinuatione tui, nec non & Ducum, Comitum, & Baronum ac aliorum nobilium, Cleri quoque ac populi dicti regni tui, ad noſtram propter hoc tam per ſe, quam per Procuratores & Syndicos præſentiam venientium, quod dolenter referimus, ad noſtram audientiam perveniſſet, quod magi-
 ſter,

ſter, præceptores, & alii fratres dicti ordinis & ipſe ordo præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti, & præmiſſa, per multas confeſſiones, atteſtationes & depoſitiones præfati magiſtri, & plurium præceptorum, & fratrum ordinis prælibati, coram multis prælatis, & hæreticæ pravitatis inquiſitore in regno Franciæ factas, habitas & receptas, & in publicam ſcripturam redactas, nobisque & fratribus noſtris oſtenſas, probari quodammodo viderentur, ac nihilo minus fama & clamores prædicti in tantum invaluiſſent, & etiam adſcendiſſent tam contra ipſum ordinem, quam contra perſonas ſingulares ejuſdem, quod ſine gravi ſcandalo præteriri non poterat, nec abſque eminenti periculo tolerari: Nos illius, cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, veſtigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis, ratione prævia duximus procedendum, multosque de præceptoribus,

bus, presbyteris, militibus, & aliis fratribus, dicti ordinis reputationis non modicæ in noſtra præſentia conſtitutos, præſtito ab eis juramento, quod ſuper præmiſſis meram & plenam nobis dicerent veritatem, ſuper prædictis interrogavimus, & examinavimus uſque ad numerum ſeptuaginta duorum multis ex fratribus noſtris nobis aſſiſtentibus diligenter eorumque confeſſiones per publicas manus in authenticam ſcripturam redactas, illico in noſtra & dictorum fratrum noſtrorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, in Conſiſtorio legi fecimus coram ipſis, & illas in ſuo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perſeverantes in illis, eas expreſſe & ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Poſt quæ cum magiſtro & præceptoribus præcipuis præfati ordinis intendentes ſuper præmiſſis inquirere per nos ipſos, ipſum magiſtrum, & Franciæ, terræ ultramarinæ, Nor-

manniæ, Aquitaniæ ac Pictaviæ præceptores majores, nobis tunc Pictavis exiſtentibus, mandavimus præſentari. Sed quoniam quidam ex eis ſic infirmabantur, tunc temporis, quod equitare non poterant nec ad noſtram præſentiam quoquo modo adduci: nos cum eis ſcire volentes de præmiſſis omnibus veritatem & an vera eſſent, quæ continebantur in eorum confeſſionibus & depoſitionibus, quos coram inquiſitore pravitatis hæreticæ in regno tuo præfato, præſentibus quibuſdam notariis publicis, & multis aliis bonis viris dicebantur feciſſe, nobis & fratribus noſtris per ipſum inquiſitorem ſub manibus publicis exhibitis, & oſtenſis: dilectis filiis noſtris Berengario, tituli ſanctorum Nerei & Achillei & Stephano tituli ſancti Cyriaci in Thermis, presbyteris, ac Landulpho ſancti Angeli Diacono, Cardinalibus, de quorum prudentia, experientia, & fidelitate indubitatam fiduciam obti-

ti-

tinemus, commiſimus & mandavimus, ut ipſi cum præfatis magiſtro & præceptoribus inquirerent tam contra ipſos & alias ſingulares perſonas dicti ordinis generaliter, quam contra ipſum ordinem, ſuper præmiſſis cum diligentia veritatem, & quicquid ſuper his invenirent, nobis referre, ac eorum confeſſiones & depoſitiones per manum publicam in ſcriptis redactas noſtro Apoſtolatui deferre ac præſentare curarent, eiſdem magiſtro & præceptoribus abſolutionis beneficium a ſententia excommunicationis, quam pro præmiſſis, ſi vera eſſent, incurrerant, ſi abſolutionem humiliter ac devote peterent, ut deberent, juxta formam eccleſiæ impenſuri. Qui Cardinales ad ipſos magiſtrum & præceptores perſonaliter accedentes, eis ſui adventus cauſam expoſuerunt. Et quoniam tam perſonæ, quam res ipſorum, & aliorum Templariorum in dicto regno tuo conſiſtentium, in manibus no-

Digitized by Google

ſtris erant: quod libere abſque metu cujuſdam plene ac pure ſuper præmiſſis omnibus ipſis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apoſtolica injunxerunt. Qui magiſter & præceptores Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ coram ipſis tribus Cardinalibus præſentibus, quatuor tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris ad ſancta Dei Euangelia ab eis corporaliter tacta, præſtito juramento, quod ſuper præmiſſis omnibus veram & plenam dicerent veritatem, coram ipſis ſingulariter libere ac ſponte abſque coactione qualibet, & timore depoſuerunt, & confeſſi fuerunt inter cætera Chriſti abnegationem ſuper crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis ſe ſub eadem forma, ſcilicet, cum abnegatione Chriſti & ſpuitione ſuper crucem, fratres multos recepiſſe. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhoneſta confes-

feſſi, quæ, ut eorum ad præſens parcamus verecundiæ, ſubticemus; dixerunt præterea, & confeſſi fuerunt, eſſe vera quæ in eorum confeſſionibus & depoſitionibus continentur, quas dudum fecerant coram inquiſitore hæreticæ pravitatis: quæ confeſſiones & depoſitiones dictorum magiſtri & præceptorum in ſcripturam publicam per quatuor publicos tabelliones redactæ in ipſorum magiſtri & præceptorum & quorundam aliorum bonorum virorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, coram ipſis, eisdem lectæ fuerunt de mandato, & in præſentia Cardinalium prædictorum, & in ſuo vulgari expoſitæ cuilibet eorundem. Qui perſeverantes in illis eas expreſſe ac ſponte, prout recitatæ fuerant approbarunt. Et poſt confeſſiones ac depoſitiones hujuſmodi, ab ipſis Cardinalibus ab excommunicatione, quam pro præmiſſis incurrerant, abſolutionem

onem flexis genubus, manibusque complicatis humiliter & devote, ac cum lachrymarum effuſione non modica, petierunt: ipſi vero Cardinales, quia Eccleſia non claudit gremium redeunti, ab eiſdem magiſtro & præceptoribus hæreſi abjurata, expreſſe ipſis ſecundum formam Eccleſiæ, auctoritate noſtra, abſolutionis beneficium impenderunt, ac deinde ad noſtram præſentiam redeuntes, confeſſiones & depoſitiones prælibatorum magiſtri & præceptorum ſcripturam publicam, per manus publicas, ut eſt dictum, redactas, nobis repræſentaverunt, & quæ cum dictis magiſtro & præceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus confeſſionibus & depoſitionibus ac relatione, invenimus ſæpe fatos magiſtrum, & fratres in præmiſſis, & circa præmiſſa, licet quoſdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, graviter deliquiſſe. Attendentes autem quod ſcelera tam horrenda tranſire incorrecta abs-

abſque Dei omnipotentis & omnium Catholicorum injuria non poterant nec debebant, decrevimus de fratrum noſtrorum conſilio per ordinarios locorum, ac per alios fideles & ſapientes viros ad hoc deputandos à nobis, contra ſingulares perſonas ipſius ordinis, nec non contra dictum ordinem, per certas directas perſonas, quas ad hoc duximus deputandas, ſuper præmiſſis criminibus & exceſſibus inquirendum. Iis nempe, quæ magis flere cogimur quam narrare, cor noſtrum paſſione nimia cruciatur: & cum tanta proinde nobis immineat gemendi materia, fletum non poſſumus declinare. Quisnam Catholicus hæc audiens nimis non doleat, & prorumpat in luctum? quis fidelis hujusmodi ſiniſtrum eventum intelligens, amara non emittat ſuſpiria, verbaque lamentationis non eructet, cum tota Chriſtianitas hujusmodi doloris ſit particeps, & hic caſus fideles percutiat univerſos? Ex his etiam, dum

dum miniſterio debitæ conſiderationis noſtræ mentis præſentantur obtutibus, ignis in noſtris meditationibus exardeſcit, & ad tanta diſcrimina revelanda ſuſpirat affectus, zelus accenditur, & ſpiritus anxiatur. Ad quod cum nos ſufficere commode non poſſe ſciamus, levamus oculos noſtros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem unde opportunum nobis provenire auxilium, & humiliter petimus, & devote ſperamus. Et quia ſalubre in his adhiberi remedium intereſt generaliter omnium, nos cum eiſdem fratribus noſtris aliiſque viris prudentibus, exacto ac frequenti tractatu præhabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigeba, tde ipſorum fratrum conſilio univerſale concilium, ſicut imitatione digna ſanctorum patrum conſuetudo laudabilis, longævæ obſervationis exemplo nos inſtruit, a proximis Calendis Octobris ad duos annos immediate ſe-

ſequentes decrevimus congregandum: ut in eo, tam circa dictum ordinem & perſonas ſingulares & bona ejuſdem, & alia quæ ſtatum tangunt fidei Catholicæ, quam circa recuperationem & ſubſidium terræ Sanctæ, ac reparationem, ordinationem, & ſtabilitatem eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum, & libertatum eorum illa, Deo auſpice, communi conſilio inveniatur proviſio, & ejuſdem approbatione concilii roboretur; per cujus ſalutiferam exſecutionem virtus Altiſſimi, eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis, reductis errantibus, redintegrata ejuſdem fidei unitate, extirpatis vitiis virtutibuſque plantatis, correctis exceſſibus, moribus reformatis, repreſſis oppreſſionibus, libertate ſolida ſtabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejuſdem terræ ſtatu proſpero reparato, occupata reſtituat, vaſtata reſtauret, & reſtaurata conſervet, nobiſque viam aperiat idem

dem ipſe qui novit, & facultatem tribuat ipſe qui poteſt. Ut ſic in præmiſſis juxta intenſum animi noſtri deſiderium ſibi miniſtrare poſſumus ſalubriter, quod idem verus ejuſdem univerſalis ſponſus Eccleſiæ ipſam dilectam ſuam purgatam maculis, munitam virtute, ac monilibus ornatam, unam ſemper habeat & formoſam, ad ſui nominis laudem & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem & exaltationem populi Chriſtiani. Quia vero proſecutio tanti propoſiti tempore indiget, ut deductum maturius, facilius auctore Domino effectum debitum ſortiatur: prædictum tempus ad id duximus deputandum. Unde venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, ac dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpoſitis Archidiaconis, Archipresbyteris & aliis Eccleſiarum prælatis, exemptis & non exemptis, eorumque capitulis & conventibus per alias noſtras litteras

teras præcipiendo, mandamus, ut iidem Archi-Epiſcopi, nec non & cæteri Epiſcopi per ipſorum Archi-Epiſcoporum provincias conſtituti in eiſdem litteris nominati, reliquis ipſorum Epiſcoporum in dictis provinciis remanentibus ad ea, quæ pontificale officium exigunt, tam in ſuis, quam illarum dictarum provinciarum, qui ad hujusmodi concilium univerſale acceſſerint, civitatibus & diœceſibus exercenda, omni negligentia relegata cunctis, prout talis & tanti negotii qualitas exigit, diſpoſitis & paratis, ſic medio tempore ſe accingant aut ad iter, quod in hujusmodi decreto termino, quem eis & aliis peremptorie aſſignamus, in Viennenſi civitate iidem Archi-Epiſcopi & Epiſcopi taliter nominati, perſonaliter: alii vero remanentes Epiſcopi, Electi, Abbates, Priores, Decani, Præpoſiti, Archi-Diaconi, Præsbyteri, & Prælati, Capitula & Conventus, per eosdem Archi-Epiſcopos & Epiſcopos ad

prædictum concilium acceſſuros, quibus, ad omnia, quæ in eodem concilio ſtatuentur, fient, & ordinabuntur, & fuerint opportuna, concedant plenariam poteſtatem; de qua ſufficienter conſtet per publica documenta, noſtro ſe conſpectui repræſentent. Quod ſi forſan ipſis Archi-Epiſcopis & Epiſcopis acceſſuris hujusmodi noluerunt concedere poteſtatem, eo caſu venire, vel alios procuratores idoneos cum poteſtate ſimili ad idem teneantur concilium deſtinare. Non obſtantibus quibuslibet privilegiis, ſeu indulgentiis, quibuscunque perſonis, ordini, dignitati, ſeu collegio ſub quacunque verborum forma vel expreſſione a prædicta ſede conceſſis: per quæ poſſit effectus hujusmodi mandati noſtri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Mandavimus inſuper, ut iidem Archi-Epiſcopi & Prælati, per ſe vel alios viros prudentes, Deum timentes & habentes

Digitized by Google

tes præ oculis omnia, quæ correctionis & reformationis limam expoſcunt, inquirentes ſubtiliter, & conſcribentes fideliter, eadem ad ipſius concilii notitiam deferant. Et nos nihilo minus variis modis & viis ſolers ſtudium & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen hujusmodi deducta concilii, correctionem & directionem recipiant opportunam. Hoc etiam in eisdem noſtris litteris adjecto, ut nullus inobedientiæ notam, & canonicæ ultionis acrimoniam vitare deſiderans, fallacium excuſationum velamento ſe muniat, vel ex impedimentis itinerum, quæ domino pravo in directa, & in vias planas aſpera, ſua omnipotentia convertente, ceſſabunt, frivolæ allegationis munimenta confingat, ut a tam ſancti proſecutione operis ſe ſubducat: Sed occurrant ſinguli voluntarii ad id quod & divinæ congruit voluntati, & ſalutem animarum, ac utilitatem reſpicit ſin-

gulorum. Cæterum, quia multipliciter expedit, ut tam celebre concilium, tua & aliorum Catholicorum Principum decoretur præſentia, ut ſalubri conſilio & auxilio fulciatur: ſerenitatem regiam rogamus, & hortamur attentius, in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes quod præſcriptis loco & termino, in eodem concilio captata interim ad hoc opportunitate, ſtudeas perſonaliter intereſſe: meditatione provida prudenter attendens; quod in hoc non ſolum labor, quem ad tam ſancti & utilis negotii promotionem aſſumes, tibi cedet ad meritum, verum etiam aliorum, qui ad veniendum ad idem concilium, efficacius tuo inducentur exemplo. Et nihilominus vota tua nobis poteris familiarius aperire, quæ in omni benevolentia libenter ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo ac Eccleſiæ honore poterimus, admittemus. Datum Pictavis ſecundo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno tertio.

Eo-

Eodem modo Clemens ſcripſit ad Eduardum Angliæ, ad Carolum Siciliæ, ad Carolum Hungariæ, ad Jacobum Aragonum, ad Ferdinandum Caſtellæ & Legionis, ad Jacobum Majoricarum, ad Ludovicum Navarræ, ad Dionyſium Portugalliæ, ad Regem Bohemiæ, ad Henricum Cypri, ad Daciæ, Norwegiæ Sūetiæ, ad Fridericum Trinacriæ & Henricum Romanorum Reges Illuſtres: Avenione anno Papatus ſui quarto: itemque ad Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Decanos, Præpoſitos, Archi-Presbyteros, Archi-Diaconos, Pictavis anno præcedente. §. 208. *Philippi & Clementis lis.*

Puteanus ad omnem injuſtitiæ labem à condemnatione Templariorum removendam, acriter urget controverſiam, quæ lite durante inter Philippum & Clementem interceſſerit. Etenim, uti mox audiemus, Rex delatos compingebat in cuſtodiam, eorumque cauſſam Gallicanæ Eccleſiæ Præſulibus, & Theo-

logicæ Pariſiorum facultati cognoſcendam dabat. Papa ob id indignari, vel indignationem ſimulare, violatum ſedis Apoſtolicæ jus queri, eſſe Templarios religioſos ſolique Pontifici obnoxios, ab eo proinde ſolo judicandos. Igitur venerabili Bulla hortatur Regem, deſiſtat a cauſſæ cognitione, perque Cardinalem S. Nerei & S. Cyriaci legatos petit, læſæ ſedi Apoſtolicæ fiat ſatis: Archi-Epiſcopis autem, Epiſcopis & Inquiſitoribus Gallicanis licentiam & poteſtatem inquirendi in reos, atque de iis judicandi adimit. Philippus memor, ſe hominem nuper ad pedes ſuos projectum omnia promittentem vidiſſe, neque patiens contemni a Papis, vehementer Clementi reſpondere: ipſum auferendo Epiſcopis miniſterium a Deo traditum, ſpernere peccato graviſſimo Dei legatos, defendere impios. Pictavium tamen, ubi erat Pontifex, unum alterumve ex præcipuis Templariis mittit, a Clemente

te audiendos. Eo mitigatus Papa Gallicanis Theologis facultatem cognoſcendæ reorum cauſſæ ſive reddit ſive confirmat, exceptis Magiſtro Ordinis & Præceptoribus, a ſede Apoſtolica judicandis.

Atqui vero humanarum rerum quis tam eſt ignarus aut negligens, ut neſciat, vel non obſervet, idem ſæpe a duobus intendi agique opus, etſi de ratione illud expediendi controvertant, aut quum invidia plenum eſt, vel cum jurium alterius violatione conjunctum, animis quoque diſſentiant. Templariorum condemnationem gratificari Regi ſerio Clemens volebat, quippe qui promiſerat, ac norat bene, rem ſibi cum Philippo, auctoritatem Apoſtolicam terrere, haud metuere ſolito. Sed eum pro lubitu tractare cauſſam ad Romanum tribunal pertinentem, ægre ferebat, literisque & legationibus ægritudinem prodebat, ne Pontificia jura neglexiſſe videretur. Qua li-

§. 209. *Templariis parum utilis.*

Digitized by Google

mora præſtarentur: namque metuerat, ne milites auctoritate & potentia florentiſſimi, de periculo facti certiores, defenſionem pararent. Hinc *una literarum ſignificatione, Veneris die, tota Francia comprehenſi ſunt, & Fiſcus in eorum fundos resque manentes manum injecit. Lutetiæ Magiſter Templi Jacobus Mola Burgundus, cum novem & quinquaginta equitibus ſociis captus fuit. Arguebantur hæreſeos, averſæ libidinis, contemptæ crucis, læſæ Majeſtatis. Sæpe torſi nihil hujusmodi de ſe ac ſociis ſunt confeſſi quin inſontis ſeſe piosque Templarios equites conſtantiſſime teſtabantur. Macerati longo carcere ſex & quinquaginta totidem modice diſtantibus palis alligati, ac lento igne toſti ſunt: profeſſi ſe inſontes mori, amicis & conſanguineis eorum fruſtra monentibus, ſpem ut veniæ, ſi crimen agnoſcerent, ab rege propoſitam amplecterentur*, Bzov. ad ann. 1307.

n. 4. Thomas Walſingham in Eduardo II. nonniſi quinquaginta & quatuor in Pariſienſi civitate judicio Domini Philippi Regis combuſtos fuiſſe ſcribit. *Paulus Æmyl.* in Philip. IV. *Templarii tota Francia comprehenſi, ac quæſtione habita obſcœna flagitia, immania de ſe ſcelera nefariaque confeſſi permulti eorum dicuntur: libidinem nefariam, impiam religionem, ſe cum Turcis, cum Saracenis ſenſiſſe, a noſtris ſacris deſciviſſe Damnati quamplurimi ac vivi cremati.*

§. 211. *Provincia.* In Provincia Carolus II. Siciliæ Rex omnes uno pariter die, qui erat 24 Jan. cepit: memor utique Cyprio nuper eos faviſſe Regi, quo cum de Regni Hieroſolymitani inſignibus contendebat, prædiis hac de cauſſa in Regno Neapolitano poſſeſſis mulctatos, uti ex *Blondo* ſupra audivimus.

§. 212. *Regionibus aliis, Philippi impulſu.* *Ad 17. Cal. Nov. nuncii ab eodem Rege Francorum in omnes Chriſtianorum Principum regiones dimis-*

miſſi expoſtulabant, uti in ſua quisque ditione, fidei Catholicæ aſſerendæ cauſſam, adverſus eoſdem, qui Templi Hieroſolymitani ſacris addicti erant, ſuſciperet. Bzov. l.c.

In Caſtella (Caſtiliam vulgo nuncupant) Rodericus Ivanius ordinis pro-Magiſter, ſociique omnes a Gundiſalvo Toletano Præſule ad dicendam cauſſam vocati: vincula injecta abs Rege Ferdinando VI. omnibus: *Mariana.* Poſt deleto ordine bona abs Rege occupata, atque oppida omnia ſunt. In Galæcis Ponsferratus, Farumque: in Legionenſi tractu Valduerna, Tavara Almanſa, Aſcanitium: Tagum inter & Anam ad Portugalliæ fines, Valentia, Alconeta, Scricium, Nertobriga, Capella, Carcuvium: in Bœtica Palma: in Vaccæis Villalpandum: in Conteſtanis Caravaca: in Carpetania Montalbanum, aliaque oppida, prædia, domus, tota ditione Caſtellæ Regum, quæ numerare ſingula longum eſſet. *Idem.* §. 213. *in Caſtilia*

Ad

§. 214. *In Aragonia & Catalonia.*

Ad 3. Non. Decemb. Rex Aragoniæ Jacobus omnes ejus religionis homines capi, bonaque conſcribi imperavit. Johannes Lotgerius ex Prædicatorum inſtituto, de fide Catholica Judex, & generalis in Aragoniæ Regnis quæſitor ab Apoſtolica ſede conſtitutus, ſumma in jure dicendo ſeveritate uſus, ſtudioſos & fautores reorum coërcuit. Bona eorum pars in munitiſſimas Carthaginis veteris Ilergaonum opidi, Montionis, Miraveti, Villeli atque Aſſambræ arces confugerant, quibus facile repugnari, atque obſiſti poſſe ſperabant, ne indicta cauſſa in ſe animadverteretur. Eodem in Catalonia, cum ſpes reliqua non eſſet, uſi ſunt perfugio. Cæterum Jacobus Rex eos vi oppugnari imperavit. Id. Correptis enim armis arcium ſe munitione tueri conſtituerant, fato tamen infelici; victi enim Templarii ac ferro vincti fuere, Mariana teſte.

Re-

Reperiuntur etiam Clementis Pontificis ad Robertum Cantuarienſem Archi-Epiſcopum, & ad alios Antiſtites Angliæ contra eosdem Templarios literæ, in quibus ille ſignificat, cum primum ad eam dignitatem vocatus eſſet, tam gravia & deteſtanda ad ſe contra Templariorum Ordinem crimina delata fuiſſe, ut fidem hujusmodi delationi nulla ratione adhibuerit. --- Quare Eduardo II. regnante, qui paulo prius defuncto Patri Eduardo I. ſucceſſerat, *omnes per Angliam uno eodemque die Templarii comprehenſi, variis cuſtodiis paſſim attributi ſunt*, Bzov. ad ann. 1308. n. 4. ubi & teſtatur, Papam in Scotiam, Hiberniam & Daciam, ob eandem cauſam literas & nuncios miſiſſe: atque in Italia ubique contra Fratres Templarios quæſitores conſtituiſſe. *Petrus Walſingh.* in hypodeug. Neuſtr. *Capti fuere omnes Templarii per totam Angliam præcepto regio uno die,* §. 215. *In Anglia.*

pro-

propter plurima inhoneſta & enormia, fidei Catholicæ adverſantia de iis dicta & probata, & in diverſis regni caſtellis in carcerem dati.

§. 216. *In Zelandia.* In Zelandia Magiſtratus Zirikſeæ, *Boxhornio* referente in hiſt. Eccl. accepit literas, quibus jubebatur ſub mediam noctem Templarios interficere, eoque fine varii generis opifices & ſtipendiarios convocare ad ferale hoc mandatum exequendum. Neque reſignari epiſtola debebat ante quam præſcripta hora conveniſſent. Quare illa appetente Magiſtratus congregatur, datoque ei præcepto parens apparitores, fabros aliosve hujus conditionis homines in Templariorum ædem immittit, atque omnes trucidat duobus exceptis qui tum in lupanari morabantur. Crimen incolumitatis occaſio, an & pœnitentiæ?

§. 217. *In Germania.* In Germania quoque illorum ordo tum fuit abrogatus. *Munſter* in l. 3. Coſmogr. *Sub hunc circiter annum*

num 1312. *poſtquam Templariorum factio per totam Germaniam Cæſaris nutu eſſet extirpata, habitatio eorundem Dominicaſtris Monachis in urbe hac (Auguſta) aſſignata primum eſt.*

Anno 1309. *Jubente Pontifice Clemente fere ubique locorum Concilia Provincialia & Diocæſanæ Synodi, a ſacratis viris celebrabantur. Inſtituebatur in illis contra Templarios inveſtigatio eorum, quibus onerati fuerant criminum. Bona eorum a Commiſſis Pontificum occupabantur, & pecuniæ ex eorum elocatione in Eccleſiæ Romanæ ærarium pro neceſſitatibus publicis inferebantur.* Bzov. n. 12. Salmanticæ in Vectionibus anno 1310. Patrum concilium habitum eſt. Rodericus Compoſtellanus, Johannes Oliſſiponenſis, Vaſcus Idigitanus, Gonſalvus Zamorenſis, Petrus Abulenſis, Alfonſus Civitatenſis, Dominicus Placentinus, Rodericus Mindo-

§. 218. *Concilia Provincialia in cauſa Templariorum.*

donienſis, Alfonſus Aſturicenſis, Johannes Tudenſis, Johannes Lucenſis affuerunt, adjuncto Americo inquiſitore ex Prædicatorio ordine: de vinctis atque ſupplicibus quæſtione habita, cauſſaque cognita, pro eorum innocentia pronunciatum communi Patrum ſuffragio. Ad Pontificem tamen Romanum, & ad Concilium Viennæ indictum, rejecta totius rei deliberatio ſumma. *Mariana.* l. 15. c. 10. *Itaque tum ex Hiſpaniis, tum ex Italia, Gallia, Anglia, Germania, aliisque regnis ac provinciis, ab Epiſcopis & fidei quæſitoribus informationes in ſcripta publica redactæ, in primo Patrum conſeſſu Viennenſis Concilii propoſitæ, cognitionem cauſſæ Templariorum ex integro poſtularunt* Bzov.

§. 219. *Indicta iis pœnitentia Tarracone* Anno 1312. Tarracone Tarraconenſisin Hiſpania provinciæ capite *celebratum fuit concilium ad cauſam Templariorum examinandam: in quo ii*

tura deliberatione præcedente abſoluti fuerunt ab hæreſibus, eisque canonica pœnitentia indicta. Neque enim tam culpabiles inventi fuerunt, ac fama ferebat, quamvis tormentis adacti fuiſſent ad confeſſionem criminum. Præfuit concilio Guilielmus Archi-Epiſcopus Tarraconenſis, adſidentibus Epiſcopis, Raymundo Valentinenſi, Eximino Cæſarauguſtano, Martino Oſcenſi, Berengario Vicenſi, & Franciſco Dertuſenſi: Ilerdenſis autem infirmitate gravi impeditus, non potuit Synodo intereſſe. Aguirre in notitia Concilior. Hiſpan. ex Archivo Eccleſiæ Tarraconenſis, qui & miratur, Aragonienſes Chronographos nullam hujus Synodi mentionem facere, licet plura alia de Templariorum cauſſa memorent. At procul dubio particulare concilium cum univerſali committere noluerunt.

Anno. 1311. *Ad diem Calendarum Octobrium Clemens ſummus* §. 221. *Abolentur a generali Synodo.*

Pontifex Viennam Allobrogum venit. Amplius quam 300. *Epiſcopi, Patres atque Prælati, præter Cardinales, & Alexandrinum Antiochenumque Patriarchas, ex variis orbis partibus ad Concilium celebrandum acceſſere.* Bzov. n. 1. Illi ſine mora Templariorum cauſſam tractare, accuſationes audire: ſed opinionibus aliquamdiu diſſidebant: puniendos enim reos, ſi qui ſint, abſolvendos jure innocentes, ſervandum ordinem, nec abſcindendum tam nobile eſſe membrum Eccleſiæ, graviter nonnulli monebant: alii contra judicare, delendos omnes, abolendam Societatis turpiſſimæ memoriam, ſani in ea nihil, nihil integri & incorrupti reperiri, quam ſententiam Clemens in primis urgebat vehementer, una cum Rege Philippo, qui Concilio cum fratre & tribus filiis intererat. Igitur in ſecundo conſeſſu, ad XI. cal. April. anno 1312. habito, extinguendum Templariorum ordinem

nem decrevere Patres, & Romanus Epiſcopus ſexto Non. Maji ſententiam eam promulgavit, hiſce verbis ex parte conceptam: *Dudum ſiquidem Ordinem domus militiæ templi Hieroſolymitani, propter Magiſtrum & Fratres, cæterasque perſonas dicti ordinis in quibuslibet mundi partibus conſiſtentes, variis & diverſis, non tam nefandis quam infandis, proh dolor! errorum & ſcelerum obſcœnitatibus, pravitatibus, maculis & labe reſperſos, quæ propter triſtem & ſpurcidam eorum memoriam præſentibus ſubticemus, ejusque Ordinis ſtatum, habitum, atque nomen, non ſine cordis amaritudine & dolore, ſacro approbante Concilio*, non per modum diffinitivæ ſententiæ, cum eam ſuper hoc ſecundum Inquiſitiones, & proceſſus ſuper his habitos, non poſſemus ferre de jure, ſed per viam proviſionis, ſeu ordinationis, Apoſtolicæ, *irrefragabili & perpe-*

tuo valitura ſuſtulimus ſanctione, ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes, diſtrictius inhibendo, ne quis dictum Ordinem de cætero intrare, vel ejus habitum ſuſcipere vel portare, aut pro Templario gerere ſe præſumeret: quod ſi quis contra faceret, excommunicationis incurreret ſententiam ipſo facto. Stero ad ann. MCCCXII. *Eo tempore in Concilio Viennenſi Clemens* V. *Papa ordinem militiæ Templi annullaverat, qui circiter* CLXXXIV. *annos militaverat, & Magiſter Templi poſt Pariſiis combuſtus fuit & bona eorum hoſpitali S. Johannis Jeroſolymitani fuerunt conceſſa.*

§. 222. *Diſtributio bonorum Templariorum* *Delato hoc ad omnes Provincias edicto, bona Templariorum ubique occupabantur, & de ſontibus Templariis ſupplicium ſumebatur,* Bzov. ad ann. 1312. n. 3. Et bona quidem Templariorum in Caſtilia Ferdinandus IV. fiſco adjudicabat, in Aragonia vero Alfonſus dabat ordini militum

Digitized by Google

tum de Calatrava, qui Toletanæ regionis locus eſt, repellendis Saracenis inſtituto: in Luſitania Dionyſius Rex Equitibus Jeſu Chriſti, itidem adverſus Saracenos pugnaturis: in Anglia Senatus Magnus, anno 1324. congregatus Hoſpitalariis, atque Germania partem iisdem, partem Teutonicis tribuebat. In Gallia Ludovicus Hutinus, Philippi ſucceſſor, anno 1315. duas partes bonorum mobilium & debitorum, tertia Hoſpitalariis relicta, ac multam deinde pecuniam, pro ſumtibus a Patre in eam litem impenſis, accepit.

§. 223. *Mortem aliqui evaſere.*

Ipſi porro miſeri Equites, ferali Viennenſis Synodi judicio condemnati, infeſtabantur ubique, ferro plerique & flamma deleti, neque ceſſatum ſuppliciis in eos animadverti, obſervante *Mezareo*, ante ann. 1314. ut integri ſeptem anni illis extinguendis ſint conſumti. Et facilius interfici poterant, quia Palæſtina extruſi morabantur in regnis Regum

opibus ipſorum inhiantium, Alicubi tamen mortis periculum evaſerunt. Nam in Anglia nonnulli ad matrimonium convolavere, Eccleſiæ Anglicanæ Præſulibus fruſtra reluctantibus, *Bzov.* ad ann. 1312. n. 4. & in Germania alios in ordines adſciti ſunt. Quum enim Petrus Moguntinus Archi-Epiſcopus Pictavia redux, a Clemente in Templarios lege agere inter reliquos Germaniæ Præſules ſacros juberetur, Papæ ſententiam executurus, Calend. Jul. ann. 1311. provinciæ ſuæ Patres convocat, utramque in Templarios ſententiam pronunciare vult. At Hugo Comes Sylveſtris, Vir nobiliſſimus ex Grunbachio, arce Meiſenhemio vicina cum viginti Ordinis ſui Sociis, qui omnes palliis albis cruce rubea diſtinctis induti erant, & ſub veſtibus arma geſtabant, nemine Viros impavidos armatosque arcere auſo, ex improviſo accedit, atque in ampliſſimo conſeſſu hæc verba, vultu intrepido & voce cla-

clara facit: *Ego quidem, Moguntine Præſul, audio hac vos conveniſſe die, ut me meosque fratres, ſancti atque noſtro ſanguine occupati diuque defenſi & Chriſtianis ſervati templi milites, heic mecum ſtantes, devoveatis diris, & omni ſuppliciorum genere e medio tollatis: ſcito autem, & præſenti clero tuo indicato, quia gravius quam pro merito in ſanctiſſimum & rei Chriſtianæ utiliſſimum Ordinem animadvertitur, me & meo & fratrum meorum injuſte oppreſſorum nomine, Romanum Pontificem in Clementis iniquiſſimi juxta & inclementiſſimi tyranni locum proxime eligendum appellare, cui Ordinis noſtri innocentiam, totique Chriſtiano orbi probabimus.* Archi-Epiſcopus militari hac oratione commotus, & conſpectis armis cum cætero clero terrefactus, ſtatim eam appellationem vulgari mandat, cauſſisque appellationis miraculum inſerit, quo crema-

torum fratrum nonnullorum pallia cum cruce, manifeſto innocentiæ ſigno, mediis in flammis illæſa manſerint. Hugonem vero ac ſocios bono eſſe jubet animo, ſeque pro iis Papam oraturum promittit, quod & diligenter præſtitit. Literis illis Clemens mitior in Templarios factus, Moguntino jus de integro quærendi & ſtatuendi dat: iſte conſentientibus ſuæ provinciæ Epiſcopis, accuſatos crimine abſolvit, *Naucler*. gen. 44. Nomen tantum & leges familiæ ſunt mutatæ perſonis & reditibus in alios Ordines ſacros diſtributis. Cæterum quod Clemens erga Moguntinæ Provinciæ Templarios clementior quam erga alios fuerit, inde factum arbitror, cum quia Petrum Archi-Epiſcopum ob redditam ſibi ſanitatem ſingulari amore eſt complexus, tum quia denique animum ejus tantæ ſtragis Regio potius ac proprio arbitrio editæ, ſive tædium ſive horror ſubiit.

Tam

Tam felix, ut mortis ſupplicium effugeret cum aliis, non fuit ultimus Templariorum Magiſter, cujus hiſtoriam in fine placet ſubjungere, ſed communis eum clades abſumſit. Natus is erat illuſtriſſimo apud Burgundos in Biſuntinenſi diœceſi genere, ſed pauper, quia lege Gallica paternæ opes omnes fratri natu majori ceſſerant. Quotquot inſpexi auctores, eum *Jacobum de Molay*, aut Molam, vocant: Carolus du Freſne autem in Gloſſ. ex ſtirpe Dominorum *de Nolay* procreviſſe monet. Num vitio typographico N. pro M. ſit poſitum, ignoro. Fratris primogeniti jugum excuſſurus, ac propria virtute viam ad opes honoresque ſibi paraturus, militiæ Templi nomen dat, in qua primum conſtitutus *Prior*, deinde poſt obitum *Monachi Gaudini* commendatione Principum, *Magiſter* Ordinis eligitur. Tortoſam expugnavit una cum Almerico Tyri Domino, & exinde §. 224. *Hiſtoria ultimi Templariorum Magiſtri.*

aliquot annis bellum adverſus Saracenos fortiter geſſit, donec a Babylonico Sultano ea expulſus in Franciam venit. *Mezeræus* ſcribit, citatum ex inſula Cypro Pariſiis ſe cum 60. ſui Ordinis Equitibus, inter quos Delphini Viennenſis frater Guido, Hugo de Paraldis, & alii primariæ nobilitatis Viri numerabantur, ſtetiſſe, quod ſuo loco relinquimus. Apud Philippum gratia & auctoritate diu florentiſſimus, ut Filium quoque Regium de ſacro fonte ſuſceperit, tandem, quo caſu non invenio, in Regis indignationem incurrit, & decreta Ordinis abolitione, cum ſodalibus comprehenditur. Ex carcere tractus cum Guidone Viennenſi & Hugone de Paraldis Lugdunum ad Papam ducitur, quod cognitionem cauſſæ ipſorum Clemens ſibi reſervaſſet, ubi variis exhortationibus incitatus Ordinem diverſorum criminum accuſat. Mox Lutetiam retractus cum duobus comitibus,

bus, in præſentia Regis & Papæ Legatorum, ſententiam audit, qua ipſe quidem, ſi veniam ſupplex petat, impunitatis ſpem accipit, Ordo autem ſuus condemnatur. Memorat Puteanus, inter examen judicibus apparuiſſe fatuum, utique vere, quatenus miſeri omnes fatui ſunt: cæterum in unica Jacobi reſponſione plus ſapientiæ, quam in tota cauſſæ Templariorum tractatione invenio: *eſſe ordinem a Papa confirmatum, eoque non ita temere abrogandum, nimia celeritate graviſſimam tantæ Societatis cauſſam agi, quum lis Friderico I. intentata ſolidos triginta & duos abſumſerit annos: ſe vero conſtrictum vinculis, neque ſatis prudentem & ingenioſum ad defendendum Ordinem: contra eſſe pauperem, eoque faciendis largitionibus ad cauſſam obtinendam neceſſariis imparem: audire quidem, ſocios Ordinis ſevere nimis jura exigere, tamen excuſabiles*, &c. Quæ ſive in-

Digitized by Google

inepta, ſive ſapiens & viro gravi digna fuerit deſperatæ cauſſæ defenſio, ejus auctorem a flammis vindicare non potuit. Namque illuſtriſſimus Princeps, & potentiſſimorum militum Tribunus, gemino cum Achate, accenſo in rogo Pariſiis vitam finit, atque dum is extruitur, ad circumſtantem turbam, ſilentio petito, hunc in modum diſſerit: *Ego extremo vitæ tempore, cum inutili mendacio locus eſſe non debet, vera eſſe nego, ac per omnia numina juro, quæ de Templariorum impietate, criminibusque & ante jactata, & nunc recitata ſunt. Ordo enim ille ſanctus, juſtus ac Orthodoxus eſt. Ego tamen extremo ſupplicio dignus, qui Pontifice Regeque hortantibus, flagitia impia ſceleraque ementitus ſum in Ordinem meum de religione Chriſtiana optime meritum. Quod utinam, ô utinam, factum non eſſet! Sed quod unum ſupereſt, meis delictis, ſi veniæ locus eſt, igno-*

ignoſci poſtulo, ultroque graviores etiam pœnas depoſco, ſi quo modo divinum Numen patientia placare, apud homines miſericordiam hac calamitate movere poſſim. Vita mihi precaria quid opus eſt? tanto præſertim ſcelere impietateque, ad quod provocor, retenta. Bzov. Ardens neque ipſe, neque ſocius uterque a conſtantia deſcivit, *ſed innocentiam, quoad potuit, Ordinis aſtruens, tanquam cruciatum non ſentiret, expiravit, tantamque integritatis opinionem nonnullis reliquit, ut oſſa atque cineres ejus colligerent, Martyremque eum faterentur, ac omnes Templarios, pari cruciatu extinctos poſtea colerent, tanquam ſanctitate conſpicuos.* Continuat. Tyr. l. 5. c. 13.

Oportet heic inſerere ipſam Clementis inclementem ſententiam, qua univerſum Templariorum ordinem abolevit in perpetuum. §. 225. *Pontificis ſententia contra Templarios.*

SEN-

SENTENTIA

De exſtinctione Templariorum a CLEMENTE PAPA QUINTO lata in Concilio Viennenſi.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD providam Chriſti vicarii præſidentis in ſpecula Apoſtolicæ dignitatis circumſpectionem pertinet vices penſare temporum, emergentium negotiorum cauſas diſcutere, ac perſonarum attendere qualitates: ut ad debitum dirigens neceſſariæ conſiderationis intuitum & opportune manum operationis apponens, de agro domini ſic vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplificet, ſic prævaricantium ſpinas tollat, ut evellendo plus plantet quam deſtruat, & in loca vacua per eradicationem nocentium tribulorum, devota Deo plantamina transfe-

ferendo, potionem præbeat de proviſa & utili eorum locorum unione & translatione lætitiam, quam vera Juſtitia, quæ compaſſionem habet, doloris intulerit detrimentum perſonarum, & locorum hujusmodi per ruinam. Sic enim ſufferendo, quod officit, & ſubrogando, quod proficit, virtutum profectus amplificat, & ſublata de medio meliori ſubrogatione reſtaurat. Dudum ſiquidem ordinem domus militiæ Templi Hieroſolymitani propter magiſtrum & fratres, cæterasque perſonas dicti ordinis in quibuslibet mundi partibus conſiſtentes, variis & diverſis non tam nefandis, quam infandis, proh dolor., errorum & ſcelerum obſcœnitatibus, pravitatibus, maculis & labe reſperſos, quæ propter triſtem & ſpurcidam eorum memoriam præſentibus ſubticemus ejusqueordinis ſtatum, habitum atque nomen, non ſine cordis amaritudine & dolore, ſacro approbante concilio, non per modum diffiniti-

væ

væ ſententiæ, cum eam ſuper hoc ſecundum inquiſitiones & proceſſus ſuper his habitos, non poſſemus ferre de Jure, ſed per viam proviſionis ſeu ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili & perpetuo valitura ſuſtulimus ſanctione ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes: diſtrictius inhibendo, nequis dictum ordinem de cætero intrare vel ejus habitum ſuſcipere, vel portare, aut pro Templario ſe gerere præſumeret: quod ſi quis contra faceret, excommunicationis incurreret ſententiam ipſo facto: univerſa etiam bona ordinis prælibati Apoſtolicæ ſedis ordinationi & diſpoſitioni auctoritate Apoſtolica duximus reſervanda. Inhibentes diſtrictius ne quis, cujusmodi conditionis vel ſtatus exiſteret, ſe de perſonis vel bonis hujusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea, in præjudicium ordinis, ſeu diſpoſitionis Apoſtolicæ per ſedem eandem, ut promittitur, faciendæ, aliquid faceret, innovaret,

vel

vel etiam attentaret: decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus a quoquam ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Ac poſtmodum, ne dicta bona quæ dudum ad ſubſidium terræ Sanctæ, & impugnationem inimicorum fidei Chriſtianæ; a Chriſti cultoribus, data, legata, conceſſa & acquiſita fuerunt debita gubernatione carentia, tanquam vacantia deperirent, vel converterentur in uſus alios, quam in illos, ad quos fuerant pia devotione fidelium deputata, vel propter tarditatem ordinationis & diſpoſitionis hujusmodi, eorum deſtructio vel dilapidatio ſequeretur: cum fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis Archiepiſcopis, Epiſcopis & prælatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus & illuſtribus perſonis, cum reliquorum quoque abſentium prælatorum, & etiam capitulorum, & conventuum, Eccleſiarum & mona-

Dd ſte-

ſteriorum procuratoribus in dicto concilio conſtitutis habuimus ardua, moroſa, & diverſa conſilia & tractatus: ut per hujusmodi conſiliorum & tractatuum deliberationem præhabitam diligentem, dictorum bonorum ordinatio & diſpoſitio: ad honorem Dei, augmentum fidei, exaltationem Eccleſiæ, dictæ terræ ſubſidium ſalutem quoque fidelium & quietem, ſalubris, & utilis perveniret. Poſtquæ utique longa, præmeditata, proviſa, & matura conſilia, ſuadentibus plurimis juſtis cauſis, noſtra & dictorum fratrum, nec non Patriarcharum, Archi-Epiſcoporum, Epiſcorum, & aliorum Prælatorum, ac excellentium & illuſtrium perſonarum prædictorum in dicto concilio tunc præſentium deliberationes & conſilia, in hoc finaliter reſederunt, ut prædicta bona ordini hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, & ipſi hoſpitali, ac dilectis filiis magiſtro, & fratribus hoſpitalis ejudem nomine hoſpitalis & ordinis eorundem qui-

tanquam athletæ domini pro defenſione fidei ſe periculis mortis jugiter exponentes, oneroſa nimis & periculoſa diſpendia continue perferunt in partibus transmarinis in perpetuum unirentur. Nos igitur inter cætera mundi loca, in quibus vigere dignoſcitur obſervantia regularis, dictum ordinem hoſpitalis, & ipſum hoſpitale, ſinceræ caritatis plenitudine proſequentes, ac attendentes, quod, ſicuti evidentia facti in eo divinis obſequiis ferventer inſiſtitur, & miſericordiæ opera vigilantibus ſtudiis exercentur, fratres hoſpitalis ipſius, mundanis ſpretis illecebris, devotum impendentes altiſſimo famulatum, ac pro recuperatione terræ prædictæ tanquam intrepidi Chriſti pugiles, ferventibus ſtudiis & deſideriis intendentes quælibet ducunt humana pericula in contemptum: conſiderantes quoque, quod & hoc tanto eorundem magiſtri & fratrum, dictorum ordinis & hoſpitalis creſcet

ſtrenuitas, animorum fervor augebitur, & ipſorum roborabitur fortitudo, ad propulſandas noſtri redemptoris injurias, & hoſtes ejuſdem fidei continendos, quanto ipſorum potentia in opulentioribus facultatibus augmentata, onera quæ proſecutionis tanti negotii neceſſitas exigit, levius & facilius poterunt ſupportare: & propterea non indigne vigiles redditi ſtudiisque ſolicitis excitati, ut ad ſui ſtatus augmentum opem & operam impendamus, eodem ſacro approbante concilio, ipſam domum militiæ Templi, cæterasque domos, Eccleſias, capellas, oratoria, civitates, caſtra, villas, terras, grangias, & loca, poſſeſſiones, Juriſdictiones, redditus, atque Jura, omniaque alia bona immobilia & mobilia, vel ſe moventia cum omnibus membris, Juribus, & pertinentiis ſuis, ultra & citra mare, ac in univerſis & quibuslibet mundi partibus conſiſtentia, quæ ipſe ordo & dicti magiſter, & fra-

Digitized by Google

fratres ipſius ordinis militiæ Templi tempore, quo ipſe magiſter, & nonnulli & iiſdem fratribus militiæ Templi, in regno Franciæ communiter capti fuerunt, videlicet anno domini milleſimo trecenteſimo octavo, menſe octobri, per ſe, vel quoſcunque alios habebant, tenebant, & poſſidebant vel ad eoſdem domum & ordinem militiæ Templi, & dictos magiſtrum, & fratres ipſius ordinis militiæ Templi, quomodolibet pertinebant, nec non nomina, actiones & Jura, quæ prædicto tempore captionis ipſorum, eiſdem domui, ordini, vel perſonis ipſius ordinis militiæ Templi, quocunque modo competebant vel competere poterant, contra quoſcunque, cujuscumque dignitatis, ſtatus vel conditionis exiſterent, cum omnibus privilegiis, indulgentiis, immunitatibus & libertatibus, quibus præfati magiſter & fratres dictorum domus & ordinis militiæ Templi, & ipſa domus & or-

do per ſedem Apoſtolicam; vel per Catholicos Imperatores, Reges & Principes, & fideles alios, vel quocunque alio modo, erant legitime communiti, eidem ordini hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, & ipſi hoſpitali donamus, concedimus, unimus, incorporamus, applicamus, & annectimus in perpetuum, de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, exceptis bonis quondam dicti ordinis ipſius militiæ Templi conſiſtentibus in regnis & terris cariſſimorum in Chriſto Filiorum noſtrorum Caſtellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Majoricarum Regum illuſtrium, extra regnum Franciæ, quæ a donatione, conceſſione, unione, applicatione, incorporatione & annectione prædictis, ſpecialiter excipienda duximus & etiam excludenda. Ea nihilominus diſpoſitioni & ordinationi ſedis Apoſtolicæ reſervantes inhibitionem dudum per alios proceſſus noſtros factam ne quis videlicet, cujuscunque conditionis vel

Digitized by Google

vel ſtatus exiſteret, ſe de perſonis & bonis hujuſmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in præjudicium ordinationis ſeu diſpoſitionis ſedis ejuſdem faciendæ de illis, nec non decreti noſtri interpoſitionem quoad perſonas & bona, in dictis regnis & terris eorundem Regum proxime expreſſorum conſiſtentia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis quouſque de perſonis & rebus prædictis in iiſdem regnis & terris conſiſtentibus, per diſpoſitionem ſedis ejuſdem fuerit aliter ordinatum. Occupatores quoque dictorum bonorum: aut illicitos detentores, cujuſcunque ſtatus, conditionis, excellentiæ vel dignitatis extiterint, etiamſi pontificiali, imperiali, vel regali præfulgeant dignitati, niſi infra unius menſis ſpatium; poſtquam ſuper hoc per dictos magiſtrum, & fratres ipſius hoſpitalis, vel ipſorum quemlibet, aut procuratorem ſeu procuratores eorum, fuerunt requi-

ſiti, dicta bona dimiſerint, illaque plene ac libere reſtituerint ordini ipſius hoſpitalis, & eidem hoſpitali aut magiſtro ſeu prioribus vel præceptoribus hoſpitalis ejuſdem in quibuscunque partibus & provinciis conſtitutis, eorumque ſingulis vel procuratori ſeu procuratoribus eorundem ejuſdem ipſius hoſpitalis nomine, etiamſi dicti priores, præceptores & fratres ipſius hoſpitalis & procuratores ipſorum, & eorum quilibet, a dicto magiſtro ipſius hoſpitalis mandatum ſuper hoc ſpecialiter non haberent, dummodo procuratores prædicti a dictis prioribus & præceptoribus, vel eorum ſingulis in provinciis & partibus, in quibus hujuſmodi priores & præceptores exſtiterint deputati, mandatum ſuper habuerint vel oſtenderint ſpeciale. Qui omnes & ſinguli, videlicet priores & præceptores, & fratres, dicto magiſtro, procuratores vero prædicti eisdem prioribus & præceptoribus, eorumque

que

que ſingulis, a quibus ſuper his fuerint deputati, plenum ſuper omnibus geſtis, actis, receptis; & procuratis per eos quomodolibet in hac parte, computum & rationem ponere & reddere teneantur: nec non omnes qui ſcienter occupatoribus, detentoribus prælibatis in occupatione vel detentione hujusmodi dederint conſilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, excommunicationis: capitula vero, collegia ſeu conventus Eccleſiarum & monaſteriorum, nec non univerſitates civitatum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum & ipſas civitates, caſtra, villas & loca, quæ in his culpabilia extiterint, ac etiam civitates, caſtra & loca, in quibus detentores & occupatores hujusmodi dominium obtinuerint temporale, ſi hujusmodi domini temporales in dimittendo bona prædicta, & reſtituendo illa magiſtro & fratribus ordinis & hoſpitalis ejuſdem nomine hoſpitalis

ipſius obſtaculum adhibebunt, & infra dictum menſem ab hujusmodi præmiſſis non deſtiterint poſtquam ſuper hoc, ut præmittitur, fuerint requiſiti, ipſo facto interdicti ſententiis decernimus ſubjacere: a quibus abſolvi non poſſunt, donec ſuper his plenam & debitam ſatisfactionem curaverint exhibere. Et nihilominus occupatores & detentores hujusmodi, vel præſtantes eiſdem, ut præmittitur, auxilium, conſilium vel favorem, ſive ſingulares perſonæ, ſive capitula, collegia ſeu conventus Eccleſiarum & Monaſteriorum, ac univerſitates civitatum, caſtrorum, terrarum, vel aliorum locorum extiterint, præter pœnas præſcriptas, omnibus quæ a Romana vel aliis Eccleſiis quibuscunque tenent in feudum, ipſo facto decernimus, fore privatos ſive privata. Ita quod ad Eccleſias, ad quas ſpectant, illa libere ſine contradictione aliqua revertantur earumque Eccleſiarum Prælati,

Digitized by Google

ti, ſive rectores de ipſis pro ſua voluntate diſponant, ſunt utilitati Eccleſiarum ipſarum viderint expedire. Nulli ergo, &c: noſtrorum donationis, conceſſionis, unionis, incorporationis, applicationis annexionis, reſervationis, inhibitionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere.

§. 226. *Mors auctorum excidii Templariorum.*

Excidio Templariorum non diu ſupervixere ejus auctores, Papa Avenionenſis & Galliarum Rex. Etenim Clemens V. ad XII. Calend. Majas anno Æ. C. 1314. Pontificatus autem octavo, menſe decimo, variis diu ægritudinibus afflictatus, poſt dyſenteria, & ſtomachi laterumque dolore confectus diem clauſit extremum. Philippus autem pulcher non diu poſt eandem ivit viam; nam ejus Filius Ludovicus X. die S. Stephani primi Martyris, dicto anno à Remenſi Archi-Epiſcopo eſt ſacro oleo inunctus. Refert *Fulgoſus* apud Hoſpinian. & Wolf. Templarium quen-

quendam, gente Neapolitanum, in urbe Burdegala ad ignem damnatum, conſpectis ad feneſtram Pontifice ac Philippo Rege, magna voce in hæc verba prorupiſſe; *Sæviſſime Clemens Tyranne, poſteaquam mihi inter mortales nullus jam ſupereſt ad quem appellem pro gravi morte, qua me per injuriam afficis, ad juſtum judicem Chriſtum, qui me redemit, appello, ante cujus tribunal te voco, una cum Philippo Rege, ut intra annum diemque ambo illic compareatis, ubi cauſſam meam exponam, & jus ſine pravo affectu ullo adminiſtrabitur. Intra id quoque tempus Clementem ac Regem mortuos*. Equidem quo hiſtoriam aut confirmem aut refellam, mihi non ſuppetit; video tamen *Drexelium* Societatis Jeſu Patrem & crediſiſſe, & cordi adeo habuiſſe, ut l. 2. de tribun. Chriſt. c. 3. exclamarit: *Quis neget, geniale aliquid, & divinum hic interveniſſe, ſupremo Numine conſciſcente?* Con-

Conſideratio recenſita jam Templariorum excidii diverſas ſponte ſuppeditat obſervationes haud negligendas, ſive tantæ cladis Auctores, ſive cauſſas illius, ſive cladem ipſam intueamur. Auctor enim primus erat Galliæ Rex, cujus exemplum Reges & Principes cæteri imitabantur. Ordinem fundarunt nobiles Galli, Synodus in Gallia coacta confirmavit, Reges Galliæ beneficiis & dignitatibus auxerunt, Philippus Pulcher, e glorioſiſſimis Franciæ Regibus deſtruxit evertitque. Equidem Saladinus Turcarum Princeps diu antea in animum ſibi induxerat Templarios omnes extirpare, ſed ab hoſtibus noluit Deus ipſorum delere ordinem, quem definito tempore conſervavit, donec à Chriſtianis Principibus quibus erant exoſi & formidabiles ſubito everteretur. Nempe Societates & Societatum præſides unde initium & incrementum cepere, elapſo fatali termino, ſæpe & finem habent. Quemadmodum

§. 227. *Ordo unde initium & incrementum, ſæpe & finem habet.*

dum S. Johannes vidit decem Reges Beſtiæ vires ac poteſtatem ſuam non ſolum tradentes, ſed & rurſus eripientes, meretricem infeſtando, nudando, comburendo, & carnes ejus, pingues divitias comedendo. Num & qui primus dedit, primus repetet? Saltem qui tribuit plurimum, recepto pauculo non acquieſcet. Beatus, qui facit, namque Deus id ejus animo indidit: Beatus qui videt, namque dicet: Sapiens es Deus & ſanctus & mirabilis!

§. 228. *Philippi Pulcri laus & culpa.*

Facere incepit Philippus Pulcher, hoc nomine excuſatus ab his, culpatus ab illis, num laudatus a quoquam, ignoro. Princeps erat bellicoſus, eoque ſemper pecuniæ indigus: hac abundabant Templarii, qui rebus Gallicis proderant nunquam, incommodabant ſæpe. Sed & erat conſilio prudens, judicio acer, ad audendum intrepidus. Noverat, & templum & Hieroſolymas; & Palæſtinam univerſam diris devota, & Dei ſententia

bar-

barbaris gentibus tradita. Dolebat, Orientem Occidentis fruſtra, Franciæ in primis, conſumere vires. Quid ergo templi cuſtodibus, quid militibus pro Hieroſolyma pugnantibus opus? Vere hactenus & laudabiliter: ſed innocentes juxta & reos communi involvere excidio, & ſuppliciis duriſſimis extinguere omnes, prohibet juſtitia, æquitas, clementia.

Atqui vero & a Clemente Patre hæ abſuere virtutes. Condemnavit is Templarios, equidem Regio potius quam ſuo arbitrio, tamen damnavit, imo & Cubicularium, qui anno ætatis undecimo in Ordinem adſcitus viſa & audita teſtaretur, miniſtravit. Condemnationem ad Synodum rejecit, ſententiæ invidiam eidem conflaturus: at Synodum convocavit, & Regis ad nutum voluntatemque inflexit. Agnoverant Templarii Romanum Pontificem Dominum, huic parebant exemti ab altera juriſdictione, ut vi privilegiorum nonniſi

§. 229. Clmentis Papæ culpa.

a Papa ejusque Legatis cauſſa ipſorum tractari debuiſſet: ſed cives filiosque Dominus & Pater inclemens hoſtium committit libidini, non tuetur, non defendit, non judicat, ne diſpliceat. O quam ſunt interdum Vicarii Chriſti Chriſto diſſimiles! is enim promiſſa ſubditis ſibi civibus ſervat privilegia, eorum cauſſam non accuſatori, non calumniatori, non hoſti judicandam relinquit: ſed ſuos ipſe judicat, emendat, & innocentes abſolvit!

§. 230. *Divitiæ Monachis & Clericis noxiæ.*

In exitium Templarios præcipitabant divitiæ & luxus faſtusque inde ortus. Hæc ſæpius Regum iram, præſertim Anglicorum, in Monachos & Clericos concitabant. Ita Richardus I. *ſe miſerum eſſe, non Regem querebatur, bona regni poſſidere albos & nigros Monachos & ordinis diverſi Canonicos, ſibi minimam portionem relictam.* Addit: *Eleemoſinas populi diſtrahunt & expendunt in pravos uſus dum magis co-*

gi-

gitant de ſuarum pannis meretricum, quam de ſuarum veſtimentis vel libris Eccleſiarum. - - Tolerabile malum videretur, ſi ſinguli ſuas Mulierculas obſervarent, & ſaltem thorum non invaderent alienum, Gervaſ. in Chron. De Eduardo I. Polyd. Vergil. *Prudentia ſumma, religionis ſtudioſiſſimus, inſolentiæ ſacerdotum inimicus acerrimus, quam ex opibus cumprimis proficiſci putabat, quam ob rem legem ad Manumortuam perpetuaſſe fertur, ut ita eorum luxuries coërceretur.* Quid ſuperiori ſeculo Henricus VIII. Rex Catholicæ Romanæ doctrinæ deditisſimus, de Monachis tanta opum abundantia ſive non utentibus, ſive impie abutentibus ſtatuerit; in recenti adhuc omnium verſatur memoria, & eorum maxime, qui bona illa a Rege occupata aliisque uſibus deſtinata, ad ſe & ſodales ſuos divino humanoque jure pertinere exiſtimant. Quare neque mirum eſt, omnem eos no-

ſtra ætate operam dare, ut poſſeſſas quondam beata in inſula divitias, luxui & ambitioni ſufficientes, recuperent. Sed laudatus eſto Deus, qui pravos Monachorum nondum emendatorum conatus repreſſit evertitque, & porro aliis in Regnis excitabit Principes magnos ad juſta ſua judicia exercenda in eos, qui facultatibus Eccleſiæ legatis abuti, otiari, luxuriari, impotenter agere, ima ſuperis miſcere & Regibus Principibusque dominari, quam vitam vivere ſanctam & tranquillam, indagare, agnoſcere & propagare veritatem, aliena omittere negotia, & commiſſos ſibi greges verbo Dei paſcere malunt.

§. 231. *Clades Templariorum non nimis miranda.* Clades ipſa, niſi ejus cauſſas expoſuiſſemus, in ſtuporem nos daret æque ac ſeculum quo accidit. *Templarii ſubito deſtruuntur, mirantibus univerſis, quomodo tanti Domini ſic inſperate poterant extingui*, Rolewink. in faſc. Temp. Ordo

do erat potens valde, neque nimium recens. Potentiam dabant ſociorum multitudo, divitiæ & genus illuſtriſſimum; quo Regibus & Principibus conjungebantur: poſſidebant urbes, oppida, arces, teſtaturque Matthæus Paris, ſua jam ætate habuiſſe 9000. *maneria:* eſt vero Manerium lingua Britannica fundus colonis elocatus, Domino terræ ſectam & ſervitium debentibus. Cœperat anno 1118. eoque duraverat annis 187. i. e. viginti & ſeptem jubilæis, jubilæo pro ſeptem annorum Julianorum periodo ſumto, ſi finem referimus ad ann. 1307. quo deſtrui palam cæpit, aut jubilæis viginti & octo, ſive annis 194. ſi exitium Templariorum ponimus ad ann. 1314. quo ipſorum deſtructio eſt conſummata. Scilicet metuebantur, non amabantur; Reges, Principes alioſque Viros illuſtres faſtu an injuria offendebant potius, quam cultu, ſubmiſſione & officiis ſibi devinciebant; familiarum

 bo-

bona cum mobilia tum immobilia, rapacium inſtar Harpyiarum, occupare omnia nitebantur; regnis inhiabant, regnorumque provincias aut emebant pecunia, aut emendicabant prece, aut vi & fraude involabant; potentiorum amicitiam & fœdera contemnebant, lites ac jurgia vel ſerebant vel fovebant; De opibus immenſis dare petentibus aut renuebant, aut dabant, ut plus acciperent. Quam profecto viam quiſquis init pergitque, ſive ſingularis perſona, ſive ordo univerſus, isque numeroſiſſimus & divitiis atque potentia florentiſſimus, ad exitium pronus non vadit ſed currit: ſi tardius incurrit, mora ſupplicii gravitate compenſatur.

§. 232. *Similis veſperis Siculis.* Si temporis anguſtiam ſubeat mirari, intra quod comprehenſi fuere, *Veſperas* cogita *Siculas*, & niſi pigeat hiſtoriam vel te accurate noſſe, vel me hoc loco repetere, audi. Friderico II. Imperatore & Neapol. Sici-

ciliæque Rege die Decembr. XIII. anni MCCL. in Florentino Apuliæ caſtro fatis defuncto, Manfredus filius illegitimus, ceu regni gubernator & fratris Conradi in Germania agentis conſtitutus vicarius, univerſam facile Siciliam cum regno Neapolitano in poteſtatem ſuam redigit, præter Neapolin ipſam, Capuam & Aquinum, quæ Innocentii IV. Romani Pontificis ſeſe imperio ſubjecere. Papa urbes in amplexus ſuos ruentes non modo lætabundus ſuſcipit, ſed & auxilia novis civibus adverſus veterem Dominum pollicetur ingentia, atque ſpe occupandi regni ductus, Lugduno Genuam anno MCCLI. venit; mox facto apparatu magno, quamvis vano irritoque, regni Siculi jura Ciarlotto Angliæ Regis fratri confert. Interea Conradus ex Germania in Italiam numeroſo cum exercitu movet, Capuam, Aquinum & Neapolin rebelles capit vaſtatque: ſed præcipiti fato, nonnulli ajunt ve-

neno Manfredi cura miniſtrato, extinctus vitam & regnum anno 1253. amittit. Quare iſtud Innocentius IV. occupare cogitat, & forte occupaſſet, niſi mors ejus anno 1254. ſecuta conſiliis interceſſiſſet. Tum Manfredus copiis auctus Siciliam ac Neapolin luſtrare, & vel ſibi vel Nepoti Conradino abſenti ſubjicere, Romanis autem Epiſcopis, Alexandro IV. & Urbano IV. Innocentii ſucceſſoribus, regno inhiantibus & Manfredum ſacris interdicentibus palam bellum inferre. Urbanus contra, in Trecenſi Gallica civitate ex patre veteramentario ſutore natus, Carolo Andino Duci & Narbonenſis provinciæ Comiti, Ludovici Sancti Galliæ Regis fratri, per Cardinalem cum diplomate in Galliam anno 1262. miſſo, utriusque Siciliæ regnum offerre, hac tamen conditione, ut id ſuis ſumtibus armisque comparatum, nihilominus ab Eccleſia ſe habere agnoſceret, & ſedi Apoſtolicæ honeſtum

ſtum quotannis tributum ſolveret. Carolus capto cum fatribus conſilio & firmatus milite, anno 1264. menſe decembri, Romam venit, ibique ipſo Epiphanias die anni proxime ſecuti, cum Beatrice conjuge, a Clemente IV. Urbani ſucceſſore, e Narbonenſi provincia oriundo, utriusque Siciliæ Rex coronatur. In Campaniam progreſſus Manfredi legatis de pace vel induciis acturis reſpondet ferociter: non niſi bella ſe velle, daturumque operam, ut vel Manfredus a ſe in tartara detrudatur, vel Carolus a Manfredo in Paradiſum ablegetur. Itaque Manfredum, ab Apula nobilitate proditum, & acie cæſum prope Beneventum vincit, Neapolin victor intrat, & Siciliam ſubjugat anno 1265. Poſt Conradinum Friderici II. ex Henrico filio primogenito nepotem, avita regna repetentem, in prælio captum & per annum jam in carcere detentum, Clementis Papæ monito: *Vita Conra-*
 di-

dini mors Caroli, *mors Conradini vita Caroli*, incitatus, Neapoli anno 1268. invidioſe, ante Carmelitarum templum in foro decollat. Siculo & Neapolitano regno adjicit anno 1277. Hieroſolymitanum, ejus juribus a Maria Virgine, Antiochiæ Principis filia, donatus: Neque iis contentus, de Conſtantinopolitano quoque imperio invadendo, & Michaele Palæologo expellendo cogitat, Italiam ceu Senator Romanus & Imperii Vicarius concupiſcit. Sed magnis ambitioſisque conatibus tumultus obſtitere domeſtici. Quum enim præfecti, & qui alia munera per Siciliam ipſius nomine adminiſtrabant Galli, cives iniquius tractarent, & cum in mulierum pudicitiam, tum in fortunas vitamque hominum ſævirent: de inſula ex Gallorum ſervitute in libertatem vindicanda conſilium ſuſcipitur. Pandulfus Collenutius tanti facinoris auctorem laudat *Joannem Proculam* Salernitanum, Manfredi Me-

Medicum; Flav. Blondus *Joh. Prochitium*, & Platina *Prochytam* appellant. Mezeræus fuiſſe ſcribit Prochytæ, inſulæ in mari Tyrrheno, non procul a Puteolis Campaniæ opido ſitæ, Dominum, ſed a Carolo ob proditionem ejectum. Quisquis fuerit, re cum Siciliæ proceribus deliberata, Conſtantinopolin primum profectus Imperatori conſilia Caroli patefacit: deinde in Cataloniam contendens Regnum inſulæ Petro Aragonico, Conſtantiæ Manfredi filiæ marito offert: binis quoque itineribus Romam ſuſceptis in partes adducit Nicolaum III. ex Urſinorum familia oriundum, Carolo non tantum formidoloſam vicinis potentiam invidentem, ſed & iratum, quod cum filiam illius pro nepote in matrimonium petiiſſet, a Carolo riſu eſſet exceptus. Itinera fecit Procula monaſtico indutus veſtitu, & negotium ſolidis octodecim menſibus tam ſagaciter tamque prudenter geſſit, ut

Galli de periculo ante quam ingrueret, ne quidem ſuſpicati ſint. Convenerant Siculi, ut ſecunda Paſchæ feria, quæ tum incidebat in diem 30. Mart. anni 1281. ſub veſperam, ad primum campanæ ſonum, ſinguli repertos apud ſe Gallos & ubique obvios, nullo ſexus diſcrimine obtruncarent. Nec defuere ſponſioni; quin ubi indictus dies & hora illuxere, ex improviſo Gallos adoriuntur, omnesque in univerſa inſula, duarum horarum ſpatio, ne unico quidem mortem elapſo, trucidant: tanta ardentes ſive iracundia ſive crudelitate, ut ſicubi gravidas e Gallis fœminas ſcirent, matres cum fœtu ferro transfigerent, ne quid de Gallico ſanguine in Sicilia reſtaret, Carolo Rege ipſo Neapoli agente.

§. 233. *Lanienæ Pariſienſi.* Veſperis Siculis placet ſubjungere *Matutinas Gallicas*, ut aliqui appellarunt *Lanienam Pariſienſem*, tanto horridiorem, quanto erant mactati innocentiores. Quum enim Evan-

vangelici in Gallia neque bello extingui, neque ſuppliciis a novæ, ut dicebatur, religionis ſtudio abſterreri poſſent, Carolus Rex, inito prius cum Philippo II. Hiſpaniarum Rege, Eliſabetæ uxoris & Caroli Sororis opera, fœdere, quo Tridentini Concilii jurarunt confirmationem, communi omnes regni ſui Proteſtantes excidio delere ſtatuit. Obſervarunt curioſi, primam de illa cæde deliberationem, Guiſio potiſſimum inſtigante, Bleſſis eodem in conclavi, in quo poſt Ducem Henricus trucidari jubebat; alteram vero, quam Dux Andegavenſis Caroli frater, & poſtea Succeſſor, moderabatur, in Gondiacis ædibus apud S. Clodovæum, Henrici Regis parricidio a monacho Jacobo Clemente perpetrato contaminatis, inſtitutam fuiſſe. Carolus ut Evangelicos certius in inſidias pertraheret, eos tractare blandiſſime, Colinium ſenem venerandum & partium caput Patris inſtar colere,

Hen-

Henrico Navarro Reformatæ adhuc religioni addicto Margaretam ſororem deſponſare, præcipuos ex univerſo regno ad nuptias invitare, ut Papa Regem Hugenotum fere crederet. Tamen appropinquante tempore, ad perficiendum execrabile propoſitum deſtinato, haud parum angebatur animo, & capta forte reprobaſſet conſilia, niſi Catharina mater identidem monuiſſet, præſtare multum ut putrida membra abſcindantur, quam ſinus Eccleſiæ diutius laceretur: quanquam & ipſa & Andegavenſis Dux difficulter impetravere, ut hora inſtante ordiendæ ſtragis ſignum dari permitteret. Quin ubi jam erat datum, & condicto citius, Regina matre, Henrico & Guiſio curantibus, differri aliquantulum inſtituti petebat expeditionem, ſed irritis precibus, quod reliqua factio contra niteretur. Cædis initium a Colinio Lutetiæ fiebat, cujus abſciſſum caput Romam Pontifici mittebatur. Henri-

ricum Navarrum Sponſa Margareta, Condeum Nivernius affinis periculo exemit, miſſam audituros: ſed reliqui in quos inciderunt ſicarii & carnifices, occiſi omnes. Lutetiam imitatæ cæteræ Galliarum urbes, ferro in Evangelicos ſæviere, ut pauciſſimas intra horas uno die, qui S. Bartholomæo ſacer erat, anno 1572: ſupra centum millia utriusque ſexus occubuerint, fluviis innocuo miſerorum ſanguine tinctis.

Sed & Romanos omnes uno die in Aſia Mithridates Ponti Rex occidi miſerabiliter fecit: quam ſtragem Flori & Velleii Paterculi verbis repræſentare libet. Sic vero ille l. 3. c. 5. *quid atrocius uno ejus edicto, cum omnes qui in Aſia forent, Romanæ civitatis homines interfici juſſit? Tum quidem domus, templa & aræ, humana omnia atque divina jura violata ſunt.* Vellejus autem l. 2. c. 18. *Per ea tempora Mithridates Ponticus Rex, vir neque* §. 234. *Cædi Rom. juſſu Mithridatis.*

que ſilendus neque dicendus ſine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, ſemper animo maximus, conſiliis dux, miles manu, odio in Romanos Annibal, occupata Aſia necatisque in ea omnibus Romanis civibus, quos quidem eadem die, atque hora, redditis civitatibus literis, ingenti cum pollicitatione præmiorum interimi juſſerat.

§. 235. *Epilogus.* Rogamus Deum, ut Reges & Principes, & omnes penes quos eſt rerum hujus mundi moderamen, a crudelitate & injuſtitia ad æquitatem convertat, noſtros autem animos gladio & igne verbi Sacri emendet, ne caſtigari durius aut exſcindi mereamur: ut præterea Evangelium Sanctum per univerſum orbem propaget longe lateque: ſic ejus luce tandem & illuſtrabitur devota jam diris terra, & populus incredulus, ob cædem Filii Dei exul & extorris, Deo & Meſſiæ templum ſtruent, cuſtodientque cor purum & veritatis ſecundum pietatem ſtudioſum!

FINIS.

Digitized by Google

ADDENDA.

AD §. 91. Templarios Hadrianus III. auxit privilegio quo eximebantur a ſolvendis prædiorum ſuorum decimis. Alexander III. ad Terraconenſ. Archiepiſc. *Ex parte tua ad nos noveris perveniſſe, quod albi monachi & nigri, & quidam alii religioſi, Eccleſias tuæ jurisdictionis reditibus decimarum, occaſione privilegiorum quæ ſibi Romana indulſit Eccleſia, ſpoliare præſumunt. Sane nolumus te latere, quod prædeceſſores noſtri fere omnibus religioſis decimas laborum ſuorum conceſſerant. Sed prædeceſſor noſter Hadrianus ſolis fratribus Ciſtercienſis ordinis, & Templariis, & Hoſpitalariis, decimas laborum ſuorum quos propriis manibus vel ſumtibus colunt, indulſit.* Decret. Greg. l. 3. tit. 30. c. 10. Hoc autem privilegium ad ea tantum reſtringebatur prædia quæ ipſimet coluerunt: nam de agris quos aliis colendos tradiderant, ad ſolvendum decimas tenebantur. c. 11.

Ad §. 199. Corrupti Templariorum ordinis indubitatum argumentum eſt, quod interdum excommunicationem incurrerint: a qua per Priorem ſuum abſolvi poterant ſine ſedis Romanæ interventu. Equidem reſcriptum Pontificis extat tantum ad

Ma-

Magiſtrum & fratres Hoſpitalis Hieroſolymitani: ſed recte monet *Chaſſaneus* in catalogo gloriæ mundi, noſtros Templarios eſſe eodem privilegio gaviſos, part. IX. conſid. 5. Verba reſcripti hæc ſunt: *Canonica conſtitutione cavetur, quod Monachi & Canonici regulares, quocunque modo ſe percuſſerint, non ſunt ad Apoſtolicam ſedem mittendi, ſed ſecundum diſcretionem & providentiam ſui Abbatis diſciplinæ ſubdantur: quod ſi Abbatis diſcretio ad eorum correctionem non ſufficiat, providentia eſt Diœceſani Epiſcopi adhibenda: niſi exceſſus difficilis fuerit & enormis, propter quem merito ad Eccleſiam Romanam ſit recurſus habendus. Nos ergo ad vos ſtatutum hujusmodi duximus extendendum, auctoritate prædicta ſtatuentes, ut in tali caſu (niſi majoris ſit providentia requirenda) per Priorem veſtrum, qui (ſicut audivimus) presbyter eſſe debet, fratribus veſtris abſolutionis beneficium impendatur.* Decret. Greg. l. 5. tit. XXXIX. c. 50.

Ad §. 222. De ordine militum Calatravenſium *Polyd. Vergil.* de invent. rer. l. 7. c. 5. *Item ſunt & Calatravenſes a loco nuncupati, quorum militiæ auctor fuit Sanctius Rex, circiter annum ſalutis* MCLX. *nigrum amictum cum rubra cruce geſtant, ac Ciſtertienſem profitentur ordinem.*

NO-

NOMINA
AUCTORUM,

Qui in hoc opere citantur aut illuſtrantur.

A.

ABbas Cluniacenſis.
--- Urſpergenſis..
Abulpharajus.
Æmylius Paulus.
Aguirre.
Aimoinus Monachus.
Albericus.
Albertus Aquenſis.
Allatius Leo
Ambroſius.
Ammianus Marcellinus.
Anaſtaſius.
Antonius Florentinus.
Arnobius.
Athanaſius.
Auguſtinus.

Digitized by Google

B.

BAlderic.
Balſamon.
Baronius.
Bellarminus.
Bernhardus.
Beveregius.
Blondus Flavius
Boxhornius.
Bzovius.

C.

CAbaſſutius.
Camdenus.
Camerarius.
Caniſius.
Canones Apoſtol.
Carolus M.
Caſa Joan.
Caſſianus.
Chaſſaneus.
Chronicon M: Belgicum.

Ca-

Digitized by Google

- - - *Carionis.*
- - - *Germanicum.*
- - - *Saxonicum.*
Chryſoſtomus.
Collenutius.
Concilium Ancyranum.
- - - *Antiochenum.*
- - - *Aquisgran.*
- - - *Arelatenſe.*
- - - *Aurelian.*
- - - *Carthaginienſe.*
- - - *Chalcedon.*
- - - *Conſtantinopolitanum.*
- - - *Eliberinum.*
- - - *Epheſinum.*
- - - *Gangrenſe.*
- - - *Mogunt.*
- - - *Narbonenſe.*
- - - *Nicenum.*
- - - *Tolctanum.*
- - - *Trecenſe.*
- - - *Trullanum.*
- - - *Turonenſe.*
- - - *Viennenſe.*
Cyprianus.

Digitized by Google

D.

DAllæus.
Decreta Greg.
Dodechin.

E.

EBerardus.
Ephræm Syrus.
Epiphanius.
Evagrius.
Euſebius.

F.

FEſtus.
Florus.
Du Freſne Carol.
Fulcherius Carnotenſis.

G.

GEnebrardus.
Gervaſius..

Gir-

Digitized by Google

Giraldus.
Godavius.
Gothofredus.
Gregorius Magnus.
- - - Nyſſenus.
Guibertus abbas.

H.

HEda.
Hermannus Minorita.
Hieronymus.
Hoſpinianus.
Hugo de S. Victore.
Humbertus.

I.

IGnatius.
Iſidorus.
Juſtinus Martyr.

K.

KRantius.

Digitized by Google

L.

Lactantius.
Lampridius.
Leo Allatius.

M.

MAcarius Ancyran.
de Marca Petr.
Mariana.
Marianus Scotus.
Marinus Sanut.Torſel.
Martinus Polonus.
Merula.
Minucius Felix.
Munſterus.

N.

NAtalis Alexander.
Nauclerus.
Nazianzenus.
Nicephorus Gregor.

Digitized by Google

O.

OLiverius Schot.
Otto Friſing.

P.

PAris Matth.
Paulus Diaconus.
Petrus Diaconus.
- - - Weſtmonaſterienſis.
Peucerus.
Philippus Bergom.
Platina.
Polydorus Vergilius.
Poſſidonius.
Puteanus.

R.

ROlewink.

S.

SAlmaſius.
de Serres Joan.

Sigebertus.
Sigonius.
Socrates Hiſt.
Sozomenus.
Spanhemius.
Suicerus.
Sulpicius Sever.

T.

Tertullianus.
Theodoretus.
Trithemius.
Tyrius Wilh.

V.

Vellejus Paterculus.
Vigilantius.
Vincentius Bellovacenſis.
de Vitriaco Jacob.
Volaterranus.
Uſſerius.

W.

Walſingam Thomas.
Wolfius.

Digitized by Google

INDEX.

RERUM & VERBORUM.

A.

Abſtinentia injuncta Clero 35 &c
Accon urbs, quæ & Ptolemaïs, a Chriſtianis capta 282
Adrianus Judæos Ælia excludit 65, 66.
- - - Chriſtianis iniquus 67.
Ædes Templariorum unde dicantur Templa 61. &c
Ælia, olim Jeruſalem, unde ſic dicta 63.
Aldephulſus Comes Pictaviæ capitur 319.
Alexander Severus genus veſtium cuique proprium deſignat 145
de S. Amando (Otto) magiſter Templi 273
- - - captus ibid.
Anglia a Templariis Papæ ſubjecta 297.
- - - ſexaginta inde armatorum millia proficiſcuntur in Palæſtinam. 298.
Armiger gratis ſerviens non verberandus 108.

Aſcalon munitur a Chriſtianis 283.
- - - cedit Saladino 284.
Aſſaſini tributum pendunt Templariis 293
Atrebatenſis Comes acerrime invehitur in Templarios 315. &c
Avaritia multum obſtitit Reformationi 223.
- - - avaritiæ Templariorum inſigne ſpecimen 267.
- - - Principum avaritia delevit Templarios 340 &c.
- - - Eccleſiaſticorum repreſſa 218 &c.
Avem ave capere Templariis prohibitum 118.
Auguſtini regula confiéta 28.

B.

BEn-cochab Pſeudo-Meſſias 64
- - - interficitur ibid.
Bendocdar Sultanus Babyloniæ 323.
- - - Ptolemaïdem oppugnat ſed fruſtra. 324.
- - - capit 328.
Benedictini repreſſi a Gregorio IX. 162
- - - eorum potentia tempore Trithemii Abb. Spanh. 213

Blanca Regis Galliæ mater nuncios miſerandæ Chriſtianorum cladis de patibulo ſuſpendit 320.
de Blancafort (Bertrand.) Magiſter Templi 244.
Byrrus quale veſtimenti genus 151.
- - - improbat Euſtatius 148

C.

CAiri præfectus urbem tradere ſtudet Chriſtianis 314
- - - præſidio firmatur. ibid
Calvaria obſeſſa a Saladino 275.
Canonici quinam dicti 20, 21.
- - - Regulares & Sæculares 22, 23
- - - ut differant 26.
- - - eorum vita corrupta 24, 25
- - - adſtricti regulæ Auguſtini 26.
Capellani Templarior. quomodo habeantur 90.
Carolus Comes Provinciæ capitur 319.
Carolus II Siciliæ Rex uno omnes die Templarios jubet capi 394.
Charitas commendata a Clericis in proprium commodum 221, 222.
Cibus Templariorum feria ſexta 96
Clemens Pontifex M. avarus 341.
con-

- - - conſpirat cum Philippo de extinguendis Templariis. 365.
- - - ejus ad Philippum Epiſtola 367.
- - - lis cum Philippo 389.
- - - concilium cogit 402.
- - - damnat Templarios 414.
Clerici unde dicti. 18.
- - - côrum olim modeſtia 147.
- - - poſtea luxus 155, 230.
- - - unde tam divites facti 220-237.
Cœlibatus votum ejuſque origo. 31.
- - - commendatur à Pinyto & aliis 32 &c.
Colobium quid 147.
Concilia varia contra luxum Clericorum 155. &c.
Concilium Viennæ Allobrogum congregatur adverſus Templarios 402.
Conſtantinus M. ſomnio monitus labara crucis ſigno diſtinguit 194.
- - - authoris ea de re ſententia 196.
Coradinus Princeps Damaſci 294.
Coſroës II Perſarum rex Hieroſ. expugnat & deſtruit 70. 71.
Cruces veſtibus appenſæ 184, 188
- - - miraculo iis impreſſæ 18, &c
- - - de collo ſuſpenſæ 184
- - - in viis publicis & Templis 202 &c.
In-

Digitized by Google

- - - in ædibus, utenſilibus &c 172
- - - exceptis pavimentis 173 &c.
Cruces manibus geſtare quando & qua occaſione inceptum 190 &c
Crucis in vet. Eccleſia varius uſus 164 &c
Crucis ſignum in fronte 165
- - - cauſa hujus ſigni falſa 166
- - - vera 169-176
- - - ejus uſus qua occaſione invaluerit 182
Crucis dominicæ pars relicta Hieroſolymis. 185
- - - pars altera Conſtantinopolin miſſa. 186
- - - ejus particulæ jam olim diſperſæ per mundum. 185
- - - fruſtum crucis delatum ad Weſtmonaſterium. 193
Crucis lignum amittitur 377
Cruciferi 193
Crux in cælo apparet 194, 198.
- - - Crux in vexillis Romanor. 196.
- - - in Labaris Conſtantini magni & aliorum. 199 &c.
- - - alba in veſte Hoſpitaliorum 190.
Cuculli origo 133

Dal-

Digitized by Google

D.

DAlmatica veſtis 147
Damiata oppugnatur a Chriſtianis 286.
- - - capitur 291.
- - - & quidem juxta prophetiam Arabicam ibid.
- - - reſtituitur Saracenis 296.
Dionyſius Corinthior. Epiſc. de voto caſtitatis adpinytum 33.
Divitiæ Clericorum Monachorumque quo pacto comparatæ 220-237
- - - earum uſus 227
- - - abuſus 230-232
Dominicalia ſeu Dominica 77
Dominicanorum potentia circa annum MCCCC LVIII. 214

E.

ECcleſiaſticorum avaritia compreſſa 218 &c
Ἐγκόλπιον quid 186.
Epiſcopus ut differat a Presbytero 18.
Epiſcopus Hieroſolymitanus olim paruit Metropolitano Cæſareenſi 54.
- - - poſtea majori in honore 55, 68.

quan-

Digitized by Google

- - - quando factus Patriarcha 55, 56.
Epiſcopi Rom. potentia quo pacto aucta ſit ac ſtabilita 1.
Equi conceſſi unicuique militum Templariorum 108
Eudocia Theodoſii junioris uxor Hieroſolymam reparat 70.

F.

FAmuli & armigeri Templi olim induti veſtibus albis 138
Francorum Rex pecunia ſuſtentat Chriſtianos in Oriente. 309
- - - capitur 319
- - - libertatem redimit redditione Damiatæ 320.
Fridericus II occupat Hieroſolyma 298
- - - pacem ſancit cum Soldano ibid.
- - - proditur a Templariis 310, 357
Fulcherii Templi ſocii ad Ludovicum VII literæ 246

G.

GAza urbs antiquiſſima a Balduino Templariis atque Hoſpitalar. conceſſa 244
Gothofredus Bullionæus Lotharingiæ

Dux

Digitized by Google

Dux 13
Gregorii IX contra luxum, præſertim Benedictinorum, ſtatuta 162.

H.

HAbitus D. Jeſu 140
- - - Joan. Baptiſtæ 140
- - - Pauli Eremitæ 146.
- - - Petri Eremitæ 161.
- - - Philoſophorum 142 &c
Hieronymus commendat paupertatem voluntariam 31.
Hieroſolymæ urbis hiſtoria 62. &c
- - - Ælia dicta 63
- - - occupatur a Chriſtianis Anno MCLXXXXIX. 31.
Honorius III. P. M. ſubſidium parat terræ Sanctæ ferendum 297
Hoſpitales cruce diſtincti alba 190
- - - tranſigunt cum Sultano Babyloniæ 304
- - - eorum ſtrages permagna 307
- - - orationes & jejunia inſtituunt pro liberatione terræ ſanctæ 309
- - - litem movent adverſus Epiſcopum Lincolnienſem 313.
Humberti invectiva in Templarios 250

Ico-

Digitized by Google

L.

ICONienſes & Damaſceni bellum movent adverſus Sultanum Babyloniæ 320.
Iejunia & orationes ſuſcepta pro liberatione Terræ Sanctæ 309
Induciæ inter Chriſtianos & Saracenos violantur inſtinctu Papæ 297
- - - quod quidem male cedit Templariis 299 &c
- - - induciæ denuo pactæ inter Templarios & Soldanum Damaſci, excluſis Hoſpitalariis 303.
Innocentii IV. dictum de Anglis 314.
Inquiſitores in cauſa Templariorum. 376.
Iulianus Templum Hieroſolymis inſtaurare ſtudet, ſed fruſtra 69, 70

L.

LActantius continentiam laudat & prædicat 34
Ludovicus S. pacem prohibet fieri cum barbaris 311, 412.
- - - iter ſuſcipit in Orientem 312
- - - capitur 319.
Ludovicus VII. Templariis beneficus. 244
- - - epiſtola ad Templarios 244
- - - Templarii habitum ſuſcipit 246.

Digitized by Google

- - - annulo proditus retinetur a duce Auſtriæ 246.

M

MAgiſter Templi quo ornetur titulo in literis 251

Molay (Jacob de) militiæ Templi magiſter ultimus 409

- - - comprehenditur 410
- - - cauſam agit 411.
- - - igne crematur 412.
- - - ejus ad populum oratio 412, 413.

Monachi quando orti 20.

- - - jugum Epiſcoporum excutiunt 254.

Monachicarum veſtium quanta Sanctitas 162.

Monaſtica vita olim innocens 2

de Monte acuto (Thomas) magiſter Templi 252

P.

PAlæſtina cedit Ægyptiis 3

Pallium quale veſtimenti genus 141

- - - græcorum Philoſophis proprium 143
- - - in Eccleſia receptum 143

Paphnutius in concil. Nic. improbat abſtinentiam a conjuge legitima 36

Par-

Digitized by Google

Patres in Concilio Trecenſi 84
Patriarcha Hieroſolymitanus moderator Templariorum. Patriarcharum origo 49
- - - tranſiit appellatio e Synagoga in Eccleſiam 49
Patriarchæ ut differant ab Archiepiſcopis 59
- - - quatuor ſtatuit Synodus Nicena 51
- - - quinque Trullana 54
- - - plures Conſtantinopolitana 54
Paula fœmina Rom. paupertatem voluntariam vovet 30
Paupertas Clericorum Monachorumque tergemina 29 &c
Paupertatis votum jam olim in Eccleſia 30 &c
- - - commendatur ab Hieronymo 30, 31
Peccatorum remiſſio concedenda 45,
- - - quando 46 &c
- - - media remiſſionis peccatorum conſequendæ 47
Peregrinationes religioſæ admodum antiquæ 4
- - - ſuo eas probat Helena exemplo 4
- - - frequentiſſimæ a ſæculo VII. ad XI.

Digitized by Google

xi. 6
- - - ad remiſſionem peccatorum conſequendam ſuſceptæ 47, 48
- - - peregrinationis votum pecunia compenſatum 299
Peregrinantium pericula 7, 8
- - - etiam occupatis Hieroſolymis 13
Petrus eremita 9
- - - agit cum Patriarcha Hieroſolymitano de liberatione terræ ſanctæ ibid
- - - cum Papæ tum cæteris Principibus perſuadet expeditionem 10, 11
- - - exercitum Chriſtianorum ducit in Palæſtinam 13
Philippus II. moriens ingentem pecuniæ vim legat Templariis & Hoſpitalariis 245
Pii apud Clericos quinam 16, 17
Pænitentibus quando remittendum 46
Pontificis authoritas firmata & amplificata variis cum Monachorum tum Equitum ordinibus 1
Prophetia Arabica de expugnatione Damiatæ 291

R.

Regula Auguſtini 28
- - - Templariorum 79 &c poſtea

Digitized by Google

- - - poſtea immutata 137
Richardi Regis Angliæ dictio faceta 249
Robertus Comes Atrebatenſis Regis Galliæ frater 315
- - - ejus inſtinctu Chriſtiani occupant Alexandriam 312
- - - expeditionem parat in Turcos diſſuadente Magiſtro Templi 315
- - - acerrime invehitur in Templarios & Hoſpitalarios 316
- - - repellitur a Turcis, fugit & aquis mergitur 318
Robertus Epiſcopus Lincolnienſis bonis inhiat Templariorum & Hoſpitaliorum 314

S.

SAcerdotes quinam dicti 18
Satisfactio canonica 45
Sepulchrum Domini profanatum ab Hadriano 67
Simeon Patriarcha Hieroſol. ſcribit Papæ de liberatione terræ Sanctæ 9, 10
Siritius Ep. Rom. conjugum uſum prohibet Clero 37
Soldanus Babyloniæ captivum tenet Franciæ Regem 319

Digitized by Google

- - - dimittit 320
- - - redarguit Templarios in cauſa Friderici II. 310
- - - Cairum & Babyloniam præſidio firmat 314
- - - ejus oratio ad ſuos de Chriſtianis 318
- - - inducias pangit cum Rege Franciæ 320
Sulpicius ſeverus de ſuperbia Clericorum 155
Superbia vetus inquinamentum clericorum 250
- - - eam tegunt involucro modeſtiæ Templarii 251
Synodus Trullana contra Eremitas 160

T.

Tabenneſii eorumque habitus 153
Templarii milites unde originem ducant 3
- - - unde dicti 51, 75
- - - inſtitutum amplectuntur Canicorum regularium 18
- - - primi quinam 14
- - - eorum profeſſio 15
- - - quando inſtituti 57
con-

- - - confirmati 78
- - - diſciplina eorum ab initio ſevera 205
- - - obedientes 206
- - - induſtrii 207
- - - honeſti 207
- - - laudantur 208
- - - culpantur 250
- - - ingentes ſibi ſtruunt divitias & quo pacto 241
- - - criſtam deinceps erigunt 248
- - - poſt ſuffragante Pontificum indulgentia facti ſcelerati & violenti 249, 255
- - - eximunt ſe jurisdictioni Patriarchæ Hieroſolymitani 252
- - - avari 266
- - - bellum movent adverſus Saracenos 264
- - - bonis fruſtrantur in Cilicia 269
- - - prælio vincunt Saladini copias 270
- - - viciſſim a Saladino vincuntur 271
- - - Angliam ſubjiciunt Papæ 295
- - - diſcordias ferunt inter Chriſtianos & Saracenos 305
- - - vanos ubique terrarum rumores ſpargunt 306, 313

- - - litem movent Epiſcòpo Lincolnienſi 313
Templariorum officium defenſio terræ Sanctæ 41
- - - in remiſſionem peccatorum 44, 45
- - - eorum regula 79 &c
- - - poſt immutata 137
- - - habitus ante & poſt concilium Trecenſe 139, 140, 163
- - - vota 29
- - - tonſura 139
- - - vexillum 203
- - - inſigne 204
- - - cædes 257
- - - jurgia cum principibus 259.
- - - præcipue cum Hoſpitalariis 260 &c
- - - fortitudo ante Damiatam compenſatur 292
- - - ſtrages permagna 307 &c
- - - eorum cauſa tractatur in concilio Viennenſi 402
- - - ordinem abolendum ſentiunt Clemens Pontifex & Philippus Rex 402
- - - ordo aboletur 403
- - - multi ad ſupplicia rapiuntur 404, 305

non-

Digitized by Google

- - - nonnulli in Anglia ad matrimonium convolant 406
- - - in Germania in alios Ordines admittuntur 407, 408
- - - bonórum occupatio & diſtributio 404, 405
Templariorum ultimus Magiſter Jacob de Molay 409 vide in M.
Templum ubi primum egere Templarii deſcribitur 59, 60
- - - diverſa ejus fata 69-75
Templum Veneri dicatum eo ipſo loco quo erat ſepulchrum Domini 67
Tunica quale veſtimenti genus 141

V.

Veſtes, earum diſcrimen per ſe innocens & antiquum 146
- - - monachicarum quanta ſanctitas 162
- - - libertas veſtium a quibuſdam Monachis ſervata 154
Veſtes cuique proprias dare ſtudet Alexander Severus 145
- - - ſumendæ pro locorum qualitate 158
- - - neque viles nimis, neque prætio-

Digitized by Google

ſæ. 154. 160
Veſtis Dalmatica 147
Vota Templariorum 29 &c
Votum cælibatus, ejuſque origo 31, 32
- - - commendatur a Pinyſo 32
- - - & Lactantio 34
- - - poſtea præceptum 35
Votum paupertatis 30
- - - jam olim in Eccleſia 31
ὑπόδημα quid 142
Urbanus II. convocato Concilio, expeditionem ſuadet in Palæſtinam 12
- - - euntibus peccatorum pleniſſimam concedit indulgentiam ibid
- - - Italos tamen ab itinere eximit 13

W.

Wilhelmus comes Pembrokiæ ejusque epitaphium 301
Wilhelmus de Spata Longa 318

ERRATA.

Pag. 73.	Lin. 21.	lege	*ergo*
81.	7.		*Sociandos*
101.	8.		*qualia*

MAG 2017986